




BIBLIOTHECA
UNIV. JAGIELLO.
CRACOVENSIS

394320-
-394326

Mag. St. Dr. III

W antikvarium catalogue
Fischhabera w Stuttgartie
suyd anie so myniere
misiy editiones rarae

hld



1609

11056

IVSTI LIPSI
DE VESTA
ET
VESTALIBVS
SYNTAGMA.

Tertia editio, atque ab ultimâ Auctoris manu,
Notis auctior, & Figuris illustrior.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem Moretum, & Viduam
Ioannis Moreti, & Io. Meursium.

M. D. C. XXI.

Cum Priuilegiis Casareo & duorum Regum,
& Principum Belgarum.

IUSTI LITPI
DE VESTA
ET
VESTALIBAS
SYNTAGMA

Toutzegno, ridus de Alenay Augosse futurum
Notis superior, & Figures illustratio



ANTAEPTA
EX OFFICINA PIRANTINIANA
Ab ing. Blasius Steiner Moterium, & Videram
Iosuus Moterii, & Io. Mertini.
M. DC. XXI
G. van Eschelingen (Altona) & J. van der Rijp
& J. Mandtius Bergmann.

ILL^{MO} ET REV^{MO}
MATTHIÆ HOVIO
ARCHIEPISCOPO
MECHLINIENSIS.



XIVVM aliquid, & pæ-
nè verens, aut certè ve-
recundans, ad te adfero
ILLVSTRISSIME PRAE-
SVL, istud DE VESTA ET
VESTALIBVS: quod ta-
men solus titulus excu-
set, non enim dicam commendet. Res sacro-
rum est: vanorum & veterum, fateor: sed
sacrorum, & quæ nostris etiam piis verisque
sacris faciant illustrandis, aut approbandis:
Illustrandis, quia multa super eâ re inscriptis
olim Doctorum nostrorum: approbandis,
quia cùm illi tantum honorem paucis istis
coactisque à pueritiâ virgunculis detulerint;

quid nos æquum verumque est facere , in de-
uotis Deo puellis , ætate adultâ , voluntate
præuiâ , quæ diuino cultui corpus atque ani-
mum manciparunt? Beata virginitas , quæ cum
Angelis de gloriâ certat : certat ? imò superat,
virtute, non felicitate . quia illorum tota à Dei
munere est, istarum ab electione : sine pugnâ
aut labore, illa; ista, à certamine parata; & quæ
laudem habere , illa admirationem tantùm
potest. Iam in veteri Româ , sex aut septem
Vestales , tot præmiis aut præconiis insignes:
istæ quid? ausim asserere, in solâ Belgicâ supra
sex aut septem millia esse, nec satis etiam dixi.
O illustris portio (Cypriani verba agnosce) gregis
Christi! O flos nunc in terrâ religionis , lucida
sidera olim in cælo ! quam vndique vana &
profana illa superamus, veritate, aut frequen-
tiâ? Accipe igitur V E S T A L E S veteres, sed in
illis nostras feliores cogita; accipe tu P O N-
T I F E X meritò, quod Pontificiæ olim & nunc
curæ commissum. Certè tu non solum sacris
nostris in Belgicâ rector & director præsidet;
sed huius virginis cœtus tua inspectio & ar-
bitratio est. tu ducere , formare , coercere
pon-

pontificium habes; & tot millia quārum pre-
cibus salus publica nititur, tuā auctoritate
& tutelā nituntur. Non te mouebit, quod
multa, imò pleraque ista, priscæ litteraturæ
sint: ne cense, optime Antistes, alienam
à Christianis usibus: imò ornamentum, imò
adiumentum hæc talia, germanæ Pietatis.
Vides Græcos Latinosque illos religionis
nostræ Duces aut signiferos? plerique om-
nes hac doctrinâ non insigniti tantum, sed
insignes fuere: Tertullianus, Cyprianus,
Ambrosius, Augustinus, Hieronymus: &
è Græcis, Clemens, Iustinus, Basilius, Gre-
gorij, & quotquot ex illo aureo æuo est
nominare. Cur diffugimus hodie aut dam-
namus? Neque enim solum voluptatem ex
istis aut scientiam probi prudentesque, sed
usum querunt. & ut floribus alij ad odo-
rem aut adspectum tantum, apes ad melli-
ficium, medici etiam ad salutem vtuntur:
sic illi amoeniora hæc studia traducunt &
aptant ad serium animorum fructum. Quæ
iacent valde, ut pleraque honesta, in publi-
câ hac tempestate & bellorum nimbis: sed

tu ac tales (nam & hæc tua cura est) tuemini
atque erigite, & Ecclesiæ dignitatem si sal-
uam vultis, etiam illa. Neque semper profe-
ctò hæ procellæ. & erit tempus, quo
— redeat Concordia, Virtus,
Cumque Fide Pietas altâ cœrifice vagetur.
Deus citò donet: te autem ILLVSTRISSIME
ET REVERENDISSIME PRÆSVL, decus &
columnam huic statui seruet. Louanij, Idi-
bus Iunii, M. D C. III.

I. LIPSIAS P.P. cliens.

AD VLECTOREM.

CAPE breue hoc Syntagmation, quod
est de vetustissimis & celeberrimis item
sacris. Quedam alij sparsum super iis li-
barunt: sed libarunt: nos ordine & me-
thodo rem aperuimus, atque adeo plenè
dedimus, ut licuit obliuia ista & fugitua. Siquid me
quoque fecellit, aut fugit: sit venia. nemo ita industria
aut ingenio potest, ut omnia colligat, intelligat: nec
cetero, immo posco, ut manum aliis addat. Benigne in
me consulet, si quis monebit aut sugeret. à te peto
tantum,

Ne mea dona tibi studio disposta fideli,
Intellecta prius quam sint, contempta re-
linquas.

Nam multi iudicant, priusquam legerint: quid? etiam
priusquam inspexerint quidam. contemptores scilicet
honestarum artium, & quorum voto iamdiu Doctri-
na omnis sit funus. Non audi o Deus, neque solem
hunc emunda tolls.

INDEX CAPITVM.

- C**AP. I. Quid Vesta? aliis Ignem, aliis Terram esse. deque ea
prisciæ fabule. pag. I
- II. Quibusdam & Venerem dici. Sed Vestam, pro Igne sive Foco,
antiquitus & passim cultam: & à quo exemplo Roma. 6
- III. Numam templum sacrasse, atque id rotundum: viris noctu inter-
dictum. Nulla ibi statua: & tamen vulgo eius imago. 9
- IV. Aliud ab Augusto Vesta templum. item de Regiâ, & Atrio
Vestæ. 13
- V. Vestales sacerdotes, Virgines captas. quo æuo? quo numero? 16
- VI. Alia in capiendo spectata, seruataque. Sortem, aut Oblationem
interuenisse. 18
- VII. Disciplina captarum: gradatio & ascensus: tempora ministerij:
& Virgo Maxima. 22
- VIII. Munera earum, primumque tutela Ignis. Perpetuum hunc fuisse:
si desisset, poena Virginum & flagra: iterumque instauratio. 24
- IX. Seruabant & imperij pignus, variâ interpretatione: et si pleri-
que ad Palladium trahant. Quid illud, unde, ubi? 28
- X. Sacra etiam assidua faciebant. an & Aquæ curabant? an Draconi?
hec inquisita: & aliquid de Deo Fonte. 32
- XI. Præmia & privilegia earum. Ius testandi, Lictor, Carpentum,
aliaque data. 36
- XII. Item ornamenta aut insignia: ut Vittæ, Purpura in veste, Sti-
pendia & Agri, Auctoritas in deprecando. 39
- XIII. Contrà Pœna cum peccassent, cum æuo variae: sed sollennis &
nobilis à Tarquinio Prisco. Pontifices arbitros fuisse: conuictam,
defossam: & quæ huic rei. 43
- XIV. Quando Vestales desierint? in Arnobio nodus, nec solutus. 49
- XV. Alibi Ignis cultura, & simulacrum Vestalium. 51

IVSTI

DE VESTA LIBVS SYNTAGMA.

I
V
S
T
I
L
I
P
S
I
D
E
V
E
S
T
A
L
I
B
V
S
S
Y
N
T
A
G
M
A
C
A
P
V
I
T
I

Quid Vesta? aliis Ignem, aliis Terram esse. déque

ea prisca fabula.

INTER antiquas religiones, eam
quaest Vestam spectat, comperior
vel præcipuam fuisse: Romanis
quidem: & ergo ad prisci æui
scriptorumque lucem facere, si
quis illustrat. Suscepi hoc fine:
pergit manus & calame hanc
quoque operam nauare iis, quos
vetus & melior illa doctrina capit; & simul Sacris quo-
que nostris auctoribus, qui hæc tangunt in occasione, fa-
cem aliquam præferre. VESTA igitur, plurium sensu,
Saturni ac Rheiæ filia, sorores habuit Cererem & Iuno-
nem, ipsa natu prima: fratres, Plutonem, Neptunum,

A Iouem.

I. Biblio-
thec.

Iouem. Ita Apollodorus: itēmque Ausonius;
Vesta, Ceres, & Juno, secus muliebre, sorores.

Vides primā locari: at Ouidius in ordine aliquid mutat;

*Ex Ope Iunonem memorant Cereremq; creatam
 Semine Saturni, terria Vesta fuit.*

Nam Ops eadem, quæ Rhea. Alij tamen dissident, &
 Vrani siue Celi vxorem Vestam faciunt: mystica hæc
 sunt, vt verbo absoluam, variè tradita, sed in re & inter-
 pretatione concordant Nam Celi vxor Terra fuit: ex iis
 omnia nata: & ^{i.} Vestam ipsam passim Terram interpre-
 tantur. Itaque & cum Cerere quidam confundunt, quæ
 ipsa est Terra: sed distinguenda, quòd hæc terra dum-
 taxat fertilis & frugifera; illa (Vestam dico) ea vniuersa.
 Inde & nomen petunt. vt Ouidius:

*Stat vi Terra suā, vi stando Vesta vocatur:
 quasi, quòd vi suā stet & immota libretur. Alij (vt Ser-
 uius) quòd variis vestita sit rebus. Ipsa enim (inquit) di-
 citur esse Terra. Plato huc facit: qui undecim Deos, cho-
 rago & præsultore Jove, incedere facit, eiusque currum se-
 qui: at, inquit, μῆνει μῆνι Εἰςία εἰς Δεάνοις οὐκώ μόνη: manet &
 s̄istit Vesta in Deorum domo sola. Quā domo? hoc mun-*

In Phæ-
dro.
Lib. IIII.

*do. quod Arnobius explicet: Terram nonnulli Vestam pro-
 nunciant, quòd in mundo stet sola, ceteris eius partibus in
 mobilitate perpetuā constitutis. Vbi & ipsa Platonis verba*

III. De
Leg.

*expressa. Qui Plato, nescio an hac mente iterum: Γῆ μῆν
 οὐ Εἰςία τε οἰκήσεως ιερὴ πᾶσι τῷ θεῷ. μηδεὶς οὐκέπειτε ιερὴ
 καὶ διεργάτης θεοῖς. Terra & Vesta omnibus diis habitacu-
 lum sacrum est: nemo igitur secundaria quadam templū iis
 instituat. Et videatur hīc distinguere à Terrā, & Ignem fa-
 cere, vt mox ē Plutarchi verbis discas. Nam hæc quoque
 crebra*

crebra imò passiua opinio, Vestam Ignem esse. Ouidius:

Nec tu aliud Vestam, quām viuam intellege flammarum.

Vox Græca adsonat, qui ἐστὸν Focum, siue ἔχαραν appell-

lant. Cicero: *Cūmque Vesta quasi focum urbis, ut Graco*

III. De
Legib.
II. De
Nat.

nomine est appellata, complexa sit. Iterumque alibi: *Vesta*

nomen sumptum est à Gracis. ea enim est, quae illis Esiæ dici-

tur: visque eius ad aras & focos pertinet. Seruius pariter

ad illa Virgilij: *Cana Fides, & Vesta: Vestam, inquit, Re-*

In 1. Aen.

ligionem dicit. quia nullum sacrificium sine igne est, ipsa-

que in omnibus inuocatur. Vesta autem dicta domus & Esiæ,

ut digammos sit adiecta: sicut Er, Ver, Enetus, Venetus.

Est igitur ista quasi *Publicus focus*, sicut priuatim in ædi-

bus alij consecrantur: eoqué haud absurdè Macrobius,

III. Sat.
cap. IV.

Vestam inter Deos Penates, aut certè comitem eorum, re-

censet. Sed quomodo Vesta, Ignis? duplex opinio. Prior

ad ipsam Terram restringit & refert: in quâ Phurnutus.

quod vis ignea, inquit, quæ in mundo est, hinc nutriatur,

ac per hanc subsistat: aut, quod secunda Terra etiam

animalium sit mater, quibus vis ignea vita est causa. A

priore illâ caussâ Dionysius est. qui Vesta ideo sacrari

Lib. II.
Antiq.

Ignem tradit, ὅπ γῆ τε ἡστα ἡ θεος, Καὶ τὸν μέσον κατέ χρεα Ἐ

μόσμος τόπον, τὰς δυάς Φεγγαρίας πολεῖται πυρεῖς αὐτοῖς:

quod cum Vesta sit Terra, atque ea medium mundi locum,

sorrita, accendat è se superiores illos ignes. Nota sententia

plurium veterum, è Terræ vaporibus aurisque sidera nu-

*triri & exardere. Hac ipsâ mente fabula, *Vestam nutri-**

cem Iouis esse; Marciano Capellæ scriptum. Aliter paul-

Lib. I. Phi-

tol.

lò Pythagoræi, qui Ignem medium, non Terram facie-

bant (nobilissimum quippe elementum in loco tali esse

debere) atque ipsum Vestam dici, & custodiam Iouis

κτοι

A 2 appell-

De Cœlo, c. xiiii.
In Numâ.

appellari. Aristoteles hæc tangit: & plenissimè exsequitur Plutarchus, qui lucem ei donet. Dicitur, inquit, *Numa Vesta* adem orbiculari formâ igni perpetuo custodiam circumiecisse, non ut ad similaret Terra figuram, tamquam ea *Vesta* esset, sed uniuersi huius Mundi, cuius medium Pythagorici Ignem esse arbitrantur: atque id *Vestam* appellant, & unitatem. Terram autem neque immobilem esse, neque in medio circumlationis sitam; sed in orbe circum ignem suspensam, neque inter eximias aut primas mundi partes censemendam. Eadem Platonem voluntiam senem sensisse de Terra, tamquam in alio loco sitâ; medium autem dignissimâque regionem alteri alicui præstantiori conuenire. Summa horum, Terram medium non esse, Ignem esse: atque hunc *Vestam* dici. Sed altera Phurnuti opinatio, in Terra ipsâ mixtum esse Ignem. pro quâ & Seruius: *Vesta* enim dicitur esse Terra, quam Ignem habere non dubium est, ut ex Aetnâ Vulcanique datur intellegi. Atque hoc quidem satis $\pi\alpha\chi\nu\lambda\omega\varsigma$: cum & aliter constet, Terrę passim mixtos genitabiles quosdam & vitales ignes. Vides opiniones duas: siue Ignem esse hanc Deam, sed sensu vario; siue Terram ipsam. & pro hac etiam Euripides:

Kai Γαῖα μῆτερ, Εἰσιν δὲ σὸν Κρόνον

Βερτῶν καλοδοτην, ἡμένες τοι αὐτές εἰ:

Et Terra mater, Vesta quæ sapientibus

Agnominaris, ipso in aere & sedes.

Itaque magistri Græci deriuant E'sido $\omega\ddot{\nu}\gamma\tau\acute{\varepsilon}\zeta\alpha\ddot{\nu}\delta\varsigma$, οἴσιω
 $\text{id}\rho\acute{\nu}\sigma\alpha\ddot{\nu}\delta\varsigma$ ή $\omega\ddot{\nu}\gamma\tau\acute{\varepsilon}\zeta\alpha\ddot{\nu}\varsigma$. οἴσιων εν τοπῳ $\text{id}\rho\acute{\nu}\delta\varsigma$. Sunt qui
Statam matrem (in Festo) hanc eamdem opinentur: sed
opinentur.

NOTÆ.

INOTÆA

1. Vestam ipsam passim Terram.] Et à similitudine, quia Mensa nos alit, itemq; rotunda est, sicut Terra, notat Plutarchus Mensam ipsam quibusdam Vestæ nomine dictam. In Symposiac. VII. c. IV.
 Ε μοι δέ, εἶπεν, ἐδόκει τοι μίμησα τὴ γῆν ἔτελος εἶναι. οὐδὲ τὸ θέρος ήματις Ε πεντήμετρος ὅστις, οὐδὲ πλάτος, οὐπ' ἐμίαν Ε σία παλέσται: Mihi videtur & Terræ simulacrum Vesta esse. Nam & alit nos, & stabilis prætereà manet: eoque à quibusdam benè Vesta appellatur. Causam deinde & hanc dat prisci moris siue religionis, ne Mensa vacua relinquatur: nam nec Terram sic esse volumus aut optamus.

2. Medium Pythagorici Ignem esse arbitrantur.] Addendus Aristoteles II. De Cælo, cap. XIII. qui eadem diffusè: & utrique illustrando Philolai Pythagorici ipsa verba, in Stobæi Physicis Eclogis. Eorum summa: Duplicem Ignem esse: Supremum illum, qui circumpleteatur; Medium, qui naturâ antiquior est, & centri locum tenet. quem vocati dicit τὸ παντὸς Εσίαν, Vestam siue Larem & focum Vniuersi; itemque Διὸς οἴκον, μητέρα θεῶν, βασιλὶον τὸ οὐρανὸν, Iouis domum, Deorum matrem, Basim & sustentaculum Naturæ. Circa hunc decem corpora ferri & volui, Cælum, Planetas, Solem, Lunam, Terram, iterumq; Terram oppositam, & deinde hunc Ignem Εσίαν τὰ ἔχοντα, Vestæ aut Foci locum tenentem. Mira sententia, & parum adhuc nobilis. At de Igne Vestæ, etiam Numi. ut iste.

Faustina Pij. AE.



C A P V T I I.

*Quibusdam & Venerem dici. Sed Vestam, pro figne
sue Foco, antiquitus & passim cultam: & à quo exem-
pto Roma.*

ISTA igitur Vesta est. nam Augustini traditio, ut fidem

De Civit.
lib. IV.c.x.
*I*habeat, vix exempla, Vestam etiam Venerem dici. Ita
enim ille: *Quis ferat, quod cum tantum honoris & quasi
castitatis Ignis tribuerint, aliquando Vestam non erube-
scunt etiam Venerem dicere?* An quia Ignis est, & tale

i. Saturn.
cap. xxii.
*Venus? an quia (vt Macrobius scripsit) Physici terrae supe-
rius hemisphaerium, cuius partem incolimus, Veneris appella-
tione coluerunt: inferius vero Proserpina?* Sed haec lon-

ii. Bibl.
*ginqua, aut aliena: magis illud Apollodori, unam è quat-
tuor Hesperidibus Vestam esse. Nihil ad nostram. quæ
Græcis Latinisque culta, inter præcipua numina, fuit: at-*

i.
*que adeò inter duodecim illa prima. Pausanias, de sacri-
ficiis quæ sollemniter in Olympiâ fiunt: Θύσαις Εἰσία μὲν
περιθηδυτέρων τῷ Ολυμπίῳ Διῖ. Sacrificant Vestæ primū,
tum secundo loco Ioui Olympio. Phurnuti nota huc facit:
Vesta, inquit, prima & postrema nata perhibetur, quod
in hanc (id est Terram) resoluantur quæ ab eâ producuntur,
& ab eâdem constituuntur. Quare & Graci ab illâ sacri-
ficiorum principium sumpserunt, & in illam postremò desi-
nebant. Tradit & Seruius, Nullum sacrificium sine Igne
esse, Vestamq; in omnibus inuocari. Ad principium, allu-
dere aliquid Ouidij illud videatur:*

— inde precando

Dicimus, o Vesta quæ loca primatenes.

Et si

Etsi ipse ad vestibulum, ubi olim Focus, refert. De postremo autem loco, sic & Cicero: *Vis autem Vesta ad aras*
11. De
Nat. deor.
*& focos pertinet. itaque in eâ Deâ, qua est custos rerum
intimarum, omnis & precatio & sacrificatio extrema est.*
 Virgilius seruauit:

Dij patrij indigetes, & Romule, Vestaq; mater.

Velleius: *Jupiter Capitoline, Gradiue Mars, perpetuorumq; custos Vesta ignium, vos publicâ voce obtestor.* Et alius alia exempla obseruet. Sed ad Romanam propriè Vestam ut veniamus (id institui:) vnde ei exemplum, & quando origo? Exemplum à Troianis, atque vna cum Aeneâ in Italiam venit. Nam primitus culta in Ilio, extulitque Aeneas. Virgilius:

Sic ait, & manibus vittas Vestamq; potentem,

Æternumq; adytis effert penetralibus Ignem.

Elatam Lauinij constituit, conditâ à se vrbe, & sede regni. Inde in Albam Longam transtulit Ascanius: & denique ab vrbe eâ matrice coloni Romam. Hoc est, quod Augustinus tetigit: *Sacra illa fatalia (Vestæ) qua iam tres, in quibus fuerant, presserunt ciuitates.* Tres iam dictas, mali nempe fati, nec diuturnas. Prudentius ambiguè, vel ad Troiam, vel c. Athenas, refert:

— in his quoniam Vestalis origo fauille

Urbibus, ut memorant, primo de sumpta est:

Sacrauitque focos aut Phryx, aut Graius, alumnos.

Et Athenis quidem Ignem cultum, mox dicam: sed propior tamen certiorque origo à Troianis, & Albâ: imò mansit sacrum Albæ, etiamsi Roma iam accepisset. Nostandum est. & Iuuenalis ita intellegendus:

Ignem Troianum, & Vestam colit Alba minorem.

Scho-

11. De
Civit.
c. xviii.

11. aduer.
Symmach.

Scholia stes ibi vetus: Romanos Tullo rege mouere ea sa-
cra, & transferre voluisse: sed magnam lapidationem de-
calo factam. Et iussi, inquit, ex libris Sibyllinis Pontifices
ex Sc. sacra Alba renouare inde ibi perseveranti deo. &
Vestam minorem dixit, ad compositionem. Ecce, Tullo
rege, notum Albam dirutam, & ciues Romanam tradu-
ctos: tamen sacra illa Vestæ ait Scholia stes mansisse, mo-
nitu diuino, & lapidatione territos amouere. Addit &
de libris Sibyllinis: quos refert scilicet ad Tulli æuum,
non Tarquinij Superbi, ut plures. Sed cum Scholiaste
etiam Varro facit. Additque, perseverasse. quod clarius
in eo meliusque scribas: renouare. Inde ibi perseverant.
ideo & Vestam. Sanè perseverarunt, etiam Symmachi
æuo. atque ille in epistolâ quadam: Incestum Primoge-
nia, apud Albam Vestalis antistitis. iterumque in epi-
stolâ sequenti. Igitur et si Romam inde traductâ, non ta-
men Albæ sacra esse desierunt. Sed quando traducta?
Plutarchus ambigit: & Fama est, inquit, Romulum et-
iam Ignem sacrum instituisse, & Virgines legisse, quas Ve-
stales vocant: sed alij tribuunt hoc Numa. Propertius
quidem palam Romulo, de Tarpeia, quam facit sacer-
dotem Vestæ:

Et satis una malæ potuit mors esse puellæ,

Quæ voluit flamas fallere Vestatas?

& passim, totâ Elegiâ. Sed Dionysius abit, atque adeò
Lib. II. refellit, aitque: Romulum dum taxat focos singulis curiis
constituisse, nullum Vestæ publicum; memorem dedecoris,
quod mater in Dea eius sacerdotio subisset. Argumentum
huius rei certum, quod Vestæ ades sit extra Ro-
manam quadratam, quam Romulus condidit: non futu-
rum,

rum, si ille auctor. Nam publicum, inquit, focum solent omnes in præcipuâ urbis parte collocare. Tamen & Cicero in priorem ire videatur: *Quod sacrificium tam ve-*
tus est, quam hoc (Vestalium) quod à regibus æquale huic
De Ha-
rusp. resp.
urbi accepimus. Si æquale, ergo à Romulo. Sed tamen communior fama ad Numam refert. de quo Liuius: *Vir-*
gines Vestæ legit, Albâ oriundum sacerdotium, & genti
conditoris (ob Iliam scilicet) haud alienum. Idem Dio-
 nysius, Plutarchus, alij.

N O T A E.

- i. Inter duodecim illa prima.] Ennij versus in Apuleio:
 Juno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
 Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

C A P V T . III.

*Numam templum sacrasse, atque id rotundum: viris
 noctu interdictum. Nulla ibi statua: & tamen vul-*
go eius imago.

ATQVE adeò Templum Vestæ instituit, & quidquid ad certum & sollemnem eius cultum. Id fuit situm inter Capitolium & Palatium, medio ferè spatio: disertè Dionysio scriptum, & extra Romulæam urbem, quæ radicibus Palatij ferè terminabatur. Indicat & Liuius: *In Nouâ viâ, ubi nunc facellum est, suprà adem Vestæ.* Nam via hæc Noua ex Palatij parte, iuncta Romano fo-
 ro: & in Fori parte ipsa ædes. Condidit Numa anno Ur-
 bis quadragesimo, id est regni sui secundo. quod Oui-
 dius ita notat: *v. Fastor.*

Dena quater memorant habuisse Palilia Romam,
Cum flamma custos urbe recepta Dea est.

Regis opus placidi, quo non metuentius ullum

Numinis ingenium terra Sabina tulit.

Ostendit deinde olim vile, nunc ære & marmore nituisse. Ære, in tecto: sed, ut opinor, aurato.

Quæ nunc ære nitent, stipula tum tecta virebant,

Et paries lento vimine textus erat.

I. Addit, rotundam olim & tunc fuisse:

Forma tamen templi, quæ nunc manet, antè fuisse

Dicitur: Et formæ causa probanda subest.

Causam addit plusculis versibus, quia Vesta Terram notat, Terra autem rotunda. Quod ipsum in Festo: Rotundam adem Vestæ Numa rex consecrasse videtur, quod eamdem esse terram, quæ vita hominum sustineretur, crediderit, eamque in pila formam esse, ut simili templo Dea coleretur. Seruius amplius, nescio an verè, suggerit, Adem hanc potius quam Templum fuisse, neque inauguratum à Numâ, ne Senatus ibi haberi posset. Etsi tamen nefas non fuit viros intrare, sed penetrare. Dionysius indicat: qui scribit, de die patuisse OMNIBVS, at PERNOC TARE fas fuisse nemini masculo. Docet & Neronis factum

xv. Annal. (in Tacito) qui super profectione suâ veneraturus Deos, adiit Capitolium, Et Vesta quoque templum iniuit. Sed & Piso (apud eumdem) peruersit in adem Vestæ. Viri igitur intrabant, sed non pernoctabant, neque ad intima, ut dixi, penetrabant. Ideò Metellus Pontifex, sacra ab igne crepturus, apud Ouidium profatur: Sacra vir intrabo, non adeunda viro. nempe illa penetralia, & quò solæ Virgines ibant. In hac autem

autem æde negant simulacrum ullum fuisse. Ouidius:

Esse diu stultus Vestæ simulacra putavi,

Mox didici curuo nulla subesse tholo.

Simile in Græciâ. Pausanias: Παρελθόν δὲ εἰς τὸ Εστιαῖον, ^{In Corint.} ἀγαλμα μέν εἶναι φόρον, βωμὸς δὲ, Κέπιοντος θύσιον: Progradientibus in Vestæ, simulacrum nullum occurrit, Ara tantum, εὶς in eâ Vestæ sacrificant. Caussam Fastorum ille conditor reddit:

Ignis in extinctus templo calatur in illo,

Effigiem nullam Vestæ nec Ignis habent.

Quæ ut ita sint, tamen Vestæ imago passim in Nummis aut Statuis expressa; hodieque exstat. Plinius² sedentem

2.

effingi solitam ostendit, à stabilitate: sed Nummi hoc amplius, & sedente exprimunt, & alterâ manu facem, alterâ discum siue pateram libatoriam præferentem: cum inscriptione, V E S T A. P. R. Q V I R I T I V M. De Face, ad ignem pertinet: de Disco, ad sacrificia sollenniter & perpetim oblata. Suidas Tympanum ei tribuit: nescio an in veteribus specionibus obseruatum. Γῆς ἀγαλμα. inquit. Συνίνε πλάθει τηνε Εστιαν, οιοντει τηνε γην τύμπανον βασιζοντει, επειδη τους διέμοις ή γην υφ' εκατην συγκλειδ: Terra effigies. mulierem formant Vestam, tamquam Terram, Tympanum præferentem: quoniam ventos terra intra se concludit.


N O T A E.

1. Rotundam olim & nunc fuisse.] Docent Nummi, ut isti,
atque alij plures.

AR



Argent.



2. Sedentem effigi solitam.] Crebrò. sed etiam stantem: &
figuras aliquot è Nummis vide.

Caij Cal. AE.



Num. Argent.



AR. Num. incertus.



Vespasiani AV.

A. Argent.
dinerorum Cons.

Num. Argent. incertus



C A-

C A P V T I V.

*Aliud ab Augusto Vestæ templum.item de Regiâ,
& Atrio Vestæ.*

ATQVE hoc Vestæ igitur templum: éstne aliud? aliud, Falsum, & Verum. Falsum, quod antiquarij hodie adtribuunt, ad Tiberim, iuxta Forum Piscarium, sub Auentino. Ædicula exstat; formâ rotundâ, & extra murum interiorem columellæ xviii. velut porticum formant. Quia rotunda, quia extra pomœrium Romuli, faciunt veterem illam Numæ esse. Falli arbitror. nec assertor huic opinioni, in isto quidem loco, erit: & quis nescit aliorum quoque Deorum templa sæpè eâ formâ fuisse? Quod autem extra Romuli pomœrium: valdè quidem. etiam extra Numæ: sed antè docuimus, hanc veram à nobis descriptam, item extra finitionem illam fuisse. Ergo hæc valeat: altera est vera, & à me eruenda, in Palatio collocanda. Ouidius in extremâ Metamorphosi palam de eâ:

Vestaque Cæsareos inter sacrata penates,

Et cum Cæsareâ tu Phœbe domèstice Vestâ.

Viden' duo numina in Palatio dicata, Vestam & Apollinem?

Quod idem poëta clariùs etiam, in Fastis:

Aufert Vesta diem. cognati Vesta recepta est.

Limine: sic iusti constituere patres.

Phœbus habet partem, Vestâ pars altera cessit:

Quod superest illis, tertius ipse tenet.

Diem quartum Kalendarum Maij, inquit, *Vesta aufert.*

Quare? sūntne tunc Vestalia? non illa prisca quidem,

Lib. iv.
extremo.

quæ incident in quintum Idus Iunij, ipso Ouidio attente, & marmoreis Fastis. Nam in his hodie insculptum

eo die legitur, VEST. NF. PR. quod significat, VESTALIA.

NEFAS PRÆTORI. Prior autem ille dies iisdem Fastis

in Aprili non signatur: quia nouellus, & dedicationis

modò index. Nam Augustus, cùm omnino in Palatio

habitare vellet, & mos tamen ac ceremonia haberet Pon-

tificem Max. in domo publicâ, iuxta Vestæ, habitare:

ipse Vestam potius ad se transtulit, & Sc. partem domus

sua publicauit, atque alteram illi consecrauit. Ouidius

notat, Patres ita censuisse: qui scilicet prout nunc valde in

Principum desideria sive affectus. Et poëta quidem cla-

rissime: sed & in aliis scriptoribus sunt quæ eò ducant:

Dio scribit: Επειδή τε δὲ Λεπίδης μεταλλάξαντος αρχιερεῖς απε-

δειχθῆ, γέτοικόν τινα δημοσίου ἐλασσεν, αλλὰ μέρος της θεαυ-

τοῦ, ὃν τὸν αρχιερέα εὐ κοινῷ παιτας οἰκεῖν ἔχειν, εδημοσίωτε: Post-

quam Lepido mortuo Pontifex Max. designatus est (Au-

gustus) nullam domum publicam accepit, sed partem sua,

quoniam omnino Pontificem in publico habitare oportebat,

publicauit. Imò non partem tantum, sed mox totam.

Ita enim idem scriptor: Οὐγγρεῖς τεοικόνοις οἰκοδο-

μίσας, εδημοσίωτε πᾶσιν, εἶτε διὰ την σωτέλειην την τοῦ δι-

δῆμος οἱ θυρεόις, εἶτε ὅτι αρχιερεὺς Λῦ, εἰν τοῖς ἴδιοις ἀμαὶ τοῖς

κοινοῖς οἰκοῖν: Augustus domum cùm exadificasset, totam

publicauit: sive quia collato are à populo struxerat, sive

quia Pontifex Max. cùm esset, ut in propriis simul & pu-

blicis adibus habitaret. Secunda causa verissima est. Sue-

tonius, de Iulio Cæsare: Habitauit primò in Suburra, post

autem Pontificatum max. in Sacra via, domo publicâ.

Agnoscisne Domum publicam in Pontifice? & quidem

Sacra

Sacrâ viâ, non procul à Vestâ? Etsi Regis Sacrificuli domus fuisse etiam videtur propior, quam ipsam Vestalibus Augustus dono dedit. Ita enim Dio ibidem narrat, & subdit: Τλευμπτεις βασιλέως των ιερών (ita hæc legenda) Lib. LIV.
 ταῦς δειπνοφέροις ἐδωκεν, ἐπεὶ οὐοτίχοις οἰκήσεον αὐτῶν λεῖ: Et tamen illam domum, quæ Regis sacrorum erat, Virginibus Vestâ dono dedit; quoniam adibus earum CONTIGVA hærebat. De quâ domo Regis, in Festo aliquid legas, Via Sacra, & inibi fuisse. An quia ipsam Regiam, exemplo Numæ, incoluit: an quia in vicino? De Regiâ quidem, Ouidius:

Hic locus est Vestâ, qui Pallada seruat, & ignem:

Hic fuit antiqui regia PARVA Numa.

Meminit Cicero: Nuper quidem ad Regiam me pâne confecit. Horatius: Pro Mil.
Lib. I.
Odar.

Vidimus flatum Tiberim, retortis
 Littore Etrusco violenter undis,
 Fre deiectum monumenta Regis.

Templaque Vestâ.

Ibi Scholiastes: Regiam dicit Numa Pompilij, qui ad Vestâ suam habuit Regiam. P. Victor, in descriptione Vrbis: Regia Numa, & Templum Vestâ. Ibidem & Atrium Vestâ; quod Regiæ huic adiunctum. etsi Ouidius confundere videatur:

Hic locus exiguis, qui sustinet atria Vestâ,

Tunc erat intonsi regia magna Numa.

Nempe & ille locus pars Regiæ erat: non ipsa illa tota.

Hoc Atrium Virginum habitationi seruiebat, vt Regia propriè dicta Pontificum. Agellius: Virgo Vestalis si- Lib. I.
cap. XII.
 mul est capta, & in atrium Vestâ deducta: sicut nupta in domum.

domum. Plinius: *Virgines cùm vi morbi Atrio Vesta co-guntur excedere, matronarum curæ custodiæq; mandantur.*
Obserua igitur illîc egisse: sed vi morbi exisſe, quia locus
scilicet parum laxus, nec ægrorum curæ. Etsi maior ta-
men, iam ab Augusto, Regiâ etiam, ut dixi, iis concessâ:
sed neque sic amplius.

C A P V T o V.

*Vestales sacerdotes, Virgines captas. quo anno?
quo numero?*

SATIS de ipsâ Deâ, & templo: de ministerio alioque
eius cultu videamus. Ministræ Vestales fuêre, atque
æ Virgines. In Ouidio duplex caussa. Prior, quod Iuno
& Ceres, sorores Vestæ,

*Vtraque nuperunt: amba peperisse feruntur:
Restitit impatiens de tribus una viri.
nempe hæc Vesta. Ergo,*

*Quid mirum, virgo si virgine lata ministrâ,
Admittit castas in sua sacra manus?
Altera caussa, quod Vesta Ignis, qui nihil gignit,
Nataq; de flammâ corpora nulla vides.*

*Jure igitur virgo est, qua semina nulla remittit,
Nec capit: & comites virginitatis amat.*

Cicero & duas alias dedit: *Vestæ colenda, inquit, virgi-
nes præsunt, ut aduigiletur facilius ad custodiam ignis:
& sentiant mulieres, in naturâ feminarum omnem ca-
stitatem peti. Aduigilent facilius. quare? quia liberæ à
viro, prole, aliis curis. Castitatem peti. quomodo? cùm
virgines placere Diis vident, ipsæ, pro parte suâ quæque,
sint*

sint castæ. Alij libri, pati habent, non peti. Tum mallem, mulieres, naturam. Potest & ab exemplo esse, nam Plutarchus scribit, in Graciâ quoque, ut Athenis & Delphis, & sicubi seruatur aeternus ignis, praesesse si non Virgines, tamen Viduas & à viro castas. Eius ergo Romæ obtinuit, ut paruae & tenerâ aetate caperentur, certæ pudicitiae, & vitij expertes. Labeo Antistius scripsit, minorem quam annos sex, maiorem quam annos decem natam, capi fas non esse. Prudentius aspicit:

*Ac primum paruae teneris capiuntur in annis,
Ante voluntatis propria quam libera secta
Justa maritandi condemnet vincula sexus.*

Et Augustus, apud Suetonium: *Cum in demortua Vestalis locum aliam capi oporteret, ambirentque multi nefilias in sortem darent; adiurauit, si cuiusquam neptium, suarum atas competenteret, oblaturum se fuisse eam.* De aetate, palam vides: & hoc quoque, ægre parentes in hanc velut custodiam, & adactam virginitatem, suas dedisse. Etsi multæ tamen non erant, nec crebræ istæ lectiones. Nam Numa in uniuersum quattuor eas instituit, cepitque: *Geganiam, Veraniam, Canuleiam, Tarpeiam*: ut nomina hæc à Plutarcho produntur. Duas deinde alias Seruius Tullius addidit, ut Plutarchus; siue ante eum potius Tarquinius Priscus, ut Dionysius adserit. & addit, *ad suam atatem eum numerum sic mansisse*. Quò fortasse Valerius respexit, cum de hoc Tarquinio: *Dilatauit imperij fines, cultum deorum nouis sacerdotiis auxit*. Neque enim legere memini, de aliis ab eo sacerdotibus institutis. Ceterum de numero isto, etiam Festus: *Sex Vestæ sacerdotes constitutæ sunt, ut populus pro suâ quisque*

II. contra Sym.

C parte

parte haberet ministram sacrorum: quia ciuitas Romana
in sex est distributa partes, in primos secundosque Titien-
ses, Ramnes, Luceres. Vnus Ambrosius aliter, qui septem
Epiſt. II. contra Sym. eas facit. *Quo tamen illis Virgines præmia promissa fece-
runt?* (puto, ferunt, legendum) vix septem Vestales ca-
piuntur puella. An tamen non sex potius ibi rescribendū?
1. an Augustum, qui pleraque sacerdotia numero, etiam
Vestale hoc censemus auxisse? Aliud quod suspicer non
habeo. nam quod quidam prætendent aut excusant,
Vestalem maximam extra senarium illum numerum
fuisse, ab Ambrosio autem includi: quis dicit? aut quæ
ratio est? *Quin vel maximè ea Vestalis, & in ministerio*
sacrorum solā ætate antecedens.

N O T . A E.

1. Non sex potius ibi rescribendum.] Dubito, nec temerè fe-
cerim. nam & Ambrosius voculam vix addidit, quasi negantem, certè
minuentem. Sunt etiam N ummi Faustinæ Augœtæ, quæ uxor
M. Antonino Philosopho fuit: in quibus sex sacrificantes Virgines ad
aram, & una paruula septima. quam suspicantur discipulam esse, &
nondum legitimam sacerdotem: ideoque scitè & cautè Ambrosium di-
xisse, Vix septem. At ecce sunt, qui Puerum hunc faciunt, & sacro-
rum camillum: & sane difficile, certò ex Nummis arbitrari. Etiam
C. Antonius Hopperus, magni illius Præsidis filius, antiquitatum ha-
rum peritus, addubitabat an Vestales essent, ob templi formam: que
non rotunda, sed angularis conspicitur. aliter, quam in reliquis de Vestâ
Nummis. Sed & alijs exstant Lucillæ inscripti, sub id aui, ubi sex
tantum Virgines comparent, nullâ illâ minore adstante. Itaque iterum
ad incertum redigimur: sed Nummi sunt isti. vide.

2. An

Faustinae. A.E.

Lucilla. A.E.



2. An Augustum.] Neque id sedere omnino potest, cum Plutarchus, post sex enumeratas, addat: Καὶ διατηροῦσαι μέχει χρόνων τούτων τὸ
πλῆθος: & seruasse, usque ad sua tempora, eum numerum. Si ad
sua, id est Traiani, quomodo Augustus auxerit?

C A P V T V I.

*Alia in capiendo spectata, seruataque. Sortem, aut
Oblationem, interuenisse.*

QUOT captæ fuerint, vidimus: nunc & Modum ca-
piendi collustremus. Hoc enim verbo sollenniter
vtebantur: caussamque dat Agellius: *Capi virgo propter-*
ea dici videtur, quia Pontificis maximi manu prehensa,
ab eo parente, in cuius potestate est, veluti bello capita ab-
ducitur. Cepit primas ipse Numa: &, ut Dionysius ait,
ius deinceps capiendi voluit apud Reges esse. At pulsis Re-
gibus, Pontifex maximus in locum venit: sed non libe-
râ prorsus electione, legibusque suis adstrictâ. E qui-
bis Papia fuit (in Agellio) quâ cauetur, uti Pontificis ma-
ximi arbitratu, virgines è populo viginti legantur: sor-
tatioque in concione ex eo numero fiat: & cuius virginis du-
cta erit, ut eam Pontifex max. capiat, eaque Vesta fiat.
Ait primùm, Pontificis arbitratu legi. quo sensu? nempe

Lib. I.
cap. XII.

ut ius probandi reiiciendi que ipse habeat, & sitne idonea diudicandi. Nam non Aetatem solum, sed Genus, Corpus, quæque adhaerent, inspici solent, & ut omnia apta honestaque ministerio essent. In Genere quidem, ne, cuius parentes, alter ambōe seruitutem seruissent: aut in negotiis sordidis diuersantur. Item excusari, cuius pater Flamen, Augur, Quindecimuir, aut Septemuir, aut Salius est: & talia minuta, quæ in Agellio legas. In Corpore, ne lingua debili, sensuive aurium diminuta, aliave quæ corporis labe insignita sit. Quæ adhaerent: ut patrima sit & matrima, ut ne emancipata sit: & talia, dicto loco vindenda. Sequebatur in lege, Virgines viginti. Magno satis numero, ad vnam dumtaxat capiendam: sed caussa est, vt sors leuior accidat, sparsa sic per plures. Addit, E populo. Toto, inquam, populo, non è patriciis tantum, sed & plebeiis. Imò vero Augusti æuo, præter legem morēmque veterem, etiam ex libertinis captæ. Dio Cassius: E περδίτε & παρέως οἱ πόλιν ἐνθυμεῖταις θυγατέρες εἰς τὴν τοῦ Εγίας ιερότεκνον ἐπεδίδοσαν, ἐνομοθετήθησαν δὲ τοις απελθόντες γεννημένας ιερᾶς αὐγῆς: Quoniam haud promptè ij qui planè nobiles erant, filias suas ad Vestale sacerdotium darent, Lege statutum est etiam è libertinis natas posse capi. Sequitur, Sortitionem in concione fieri. In concione, comitiis, puto, Curriatis: vt coram testibus res fieret, & dignitas sacerdotio adcresceret dignitate actionis. Sortitio autem adhibita, vt quasi diuinitus legi excerptique è pluribus talis videretur. Facit huc Suetonij illud suprà, Ambirentq; multi ne filias in sortem darent. Tangit & Sortem Dio, post superiora illa verba, additque; cum sortitio facta esset, Libertinam nullam tunc ductam. Nec tamen semper ad

Lib. LV.

Sortem

Sortem ventum: Oblatio locum habebat, & talis (si apta) præferebatur. In Agellio: *Siquis honesto loco natus adeat Pontificem maximum, atque OFFERAT ad sacerdotium filiam suam, gratia Papiae legis per Senatum fit.* Omittitur scilicet, Sc. interueniente, sortitio. Vox Augusti huc spectabat, *Si neptium suarum competenteret atas, OBLATVRVM se fuisse eam.* Taciti item narratio: Retulit Cæsar (tamquam Pont. maximus) capiendam Virginem in locum Occia: egitq[ue] grates Fonteio Agrippæ, & Domitio Polloni, quod OFFERENDO filias, de officio in rempublicam certarent. Addit deinde in ipsâ oblatione electionem & arbitrium: & pralatam Pollionis filiam, non ob aliud, quam quod mater eius in eodem coniugio maneret: id est, vniuira esset. quæ ipsa species aliqua castitatis. Habet deinde lex, *Eam Pontifex max. capiat.* Atque ipsa verba sollennia, ex libro primo Fabij Pictoris, recenset illustris Noctium scriptor: SACERDOTEM. VESTALEM. QVÆ. SACRA. FACIAT. QVÆ. IOVS. SIET. SACERDOTEM. VESTALEM. FACERE. PRO. POPLO. ROMANO. QVIRITIBVS. VTI. Q. QVÆ. OPTIMA. LEGE. FOVIT. ITA. TE. AMATA. CAPIO. Adiicit Agellius: *AMATA* inter capiendum à Pontifice max. appellatur, quoniam quæ primæ capta est, hoc fuisse nomine traditum est. Sed ubi prima capta? Si Romæ, & à Numâ: Plutarchus redarguit, qui quatuor nominat, nec ullam inter eas *Amatam.* Sin Albæ, aut Lauinij; hoc nec scio, & in medio relinquo.

C A P V T VII.

Disciplina captarum : gradatio & adscensus : tempora ministerij : & Virgo Maxima.

SED iam igitur captæ, & sic puellæ ac teneræ: quid deinde? Disciplina sequitur, & quomodo ad ministeria sua factæ. Ducebantur in Atrium Vestæ, atque ibi à senioribus ad ritus & ceremonias omnes (plusculæ erant) instructæ. Nam in tres velut classes, et si parvus hic numerus, diuidebantur: Discentium, Exercentium, Docentiumque. Seneca, De Vitâ Beatâ: *Virginum Vestalium more, quæ annis inter officia diuisis, discunt facere sacra, & cum didicerint, docent.* Dionysius etiam distinctiùs: Tempus tricennale manere eas oportet, castas & à nuptiis vacuas, sacra ex more facientes. quo tempore decem annos discere debent, decem sacris operari, decem docere. Pulchra diuisio: & eadem alibi in Plutarcho. Itaque non nisi xxx. annos obligabantur, & post id tempus licitum nubere, haud pessimâ adhuc ætate. Nam pone ab anno vii. (id licebat) ingressam: ergo anno xxxvii. fas virtum quærere, & ætate etiam frui. Ambrosius hoc irridet: *Qualis est ista non morum pudicitia, sed annorum? quæ non perpetuitate, sed ætate prescribitur?* Ergo & interdum nubebant. vt illa in Prudentio:

Nubit anus veterana, sacro perfuncta labore. et si antiquitus obseruatum, infauitas ferè & parum lætabiles eas nuptias fuisse. Sed, vt dixi, non nisi triginta annis obligabantur: antè autem nefas excedere. Ideò Symmachus, vt Pontifex, Vestalem quamdam increpat: *Diceris*

ante

ante annos legibus definitos Vestali secreto velle decadere. nondum credo rumor, sed assertionem tua vocis exspecto. Hoc illam tunc sub Christianis Principibus ausam opinandum est, nostræ religionis zelo siue velo: sed olim silendum manendumque, aut in mundo pœna erat. An eadem autem annorum terminatio Albæ, unde oriundum hoc sacerdotium? Dionysius abnuat, si verba eius germana, de Iliâ: Πενταετοῦ δὲ τὸν ἐλάτιον χρέον ἔδι αἴγας Lib. I. diaμενα γάμων: Quinquennio autem, nec minus, oportebat à nuptiis castas manere. Itane quinquennio tantum? vanitas: imò πεντηκοτεῖος, quinquaginta annos, in Dionysio legendum, ut lex Albana paullo durior Romanâ etiam fuerit. quod Liuius subindicat, qui tradit de hac ipsâ Iliâ, perpetuâ virginitate spem partus ei ademptam: & item Zonaras, qui, παρθένον διεί βίον, virginem perpetuam dicit. Consideretur. ego obseruo, plerasque ad ultimam ætatem in sacerdotio perseuerasse: & exemplum in Tacito, de Occiâ: quam scribit, septem & quinquaginta per annos, summâ sanctimoniam, sacris Vestalibus praesedisse. Ergo xx. circiter annos mansit, ultra suum tempus. Quod Praesedisse ait, non traho ad dignitatem, & quasi Maxima fuerit (vix anni illi admittant:) sed omnes Praesidere sacris, itemque Antistites vel Antistitiae dicuntur. Liuius aperte, de omnibus: ut a siduæ templi antistites essent. & Symmachus: Primogenia dudum apud Albam Vestalis antistitis. Etsi ordo tamen inter eas fuit, sed ministerij & ætatis. Una enim quæ vetustissima, Maxima dicebatut. Ad ætatem, inquam, id referendum. atque ita Ouidius:

Igne cremat vitulos, quæ NATV MAXIMA virgo est.

Suetonius
iv. Fastor.

Lib. ix.

Cap. lxxx. Cap. vii. Lib. iv. Epist. xi. Lib. liv. xi. Annal. Suetonius, Iulio: *Testamentum eius demandatum virgini Vestali Maxima.* Idem, in Domitiano: *Damnam tam ab eo Corneliam virginem Maximam:* quæ malè in Plinij epistolis, *Cornelia Maximilla.* In lapidibus sæpe: v. v. MAXIMÆ. quod est, *Virgini Vestali Max.* Quæ ipsa Dioni ή πεσθευτα: & Tacito, *Vestalium vetustissima nominatur.*

CAPVT IIX.

Munera earum, primūmque tutela Ignis. Perpetuum hunc fuisse: si desuisset, pœna Virginum et flagra: iterumque instauratio.

II. De Le- gib. **N**VMERVM, *Capturam, Disciplinam, Ordinem,* habemus: ad Munia earum transeamus. Neque enim vacuæ vñquam aut feriatæ habitæ: sed plures frequentesque operæ, & mireris tam paucas suffecisse. Tria præcipua, in quibus deditæ: *Vigilare, Adseruare, Sacrificare.* Vigilia ad Ignem spectauit, quem sine intermissione ali opus, & reparari. Itaque *Æternum siue Sempiternum dicebant.* Cicero: *Virginesq; Vestales in Urbe custodiunto ignem foci publici SEMPIERNVM.* Silius:

Et vos Virginea LVCENTES SEMPER in arâ

Laomedontæ Troiana altaria flammæ.

Florus, de Numâ: *In primis focum Vestæ virginibus collendum dedit, ut ad simulacrum cælestium siderum custos imperij flamma vigilaret.* Vult, sicut sidera æternum lument, sic debere, virginum assiduâ curâ atque operâ, hunc Ignem. Atque ita erat. Nam ignis σέστιον (ait Dionysius) οὐδὲ ἀπὸ ταῦτα δεῖνα Ρωμαῖοι δεδόκασιν, αὐθαίρητος τῆς πό-

λεως ομηρον ἔποιαν μετέδινοντες, αφ' οὗ ποτ' αἱ αἰτίαις φύεται:
*Exstinctionem, super omnia grauia et timenda, Romani
 timunt: interitus aut imminutionis Reipublicæ id signum
 interpretantes, à quacumque tandem causâ euenerit. Li-*
 uius cum eo: *Plus omnibus aut nunciatis peregrè, aut* Libro
xxviii.
visis domi prodigiis, terruit animos hominum ignis in aede
Vestæ exstinctus. Et miseras Virgines, si euenisset. Nam
ignis Vestæ (ait Festus) si quando interstinctus esset, verbe-
ribus afficiebantur à Pontifice. Sed pudore virgineo ta-
men saluo, in loco obscuro, & velo medio interposito, uti
Plutarchus notauit. Exempla autem huius castigationis
in historiâ. vt Valerio: P. Licinio Pontifici maximo vir- Lib. i. c. i.
go Vestalis, quia quâdam nocte parum diligens ignis aeterni
custos fuisset, digna visa est quæ flagro admoneretur. In
Liui: Ignis in aede Vestæ est exstinctus, casaq; flagro Vestal- Libro
xxvii.
lis, cuius custodia noctis eius fuerat. Nota de Flagro vtro-
bique: quæ seruili scutigatio. nota etiam de custodia eius
noctis, vt per vices iuisse videatur, & singulæ suis nocti-
bus dumtaxat excubasse. Quòd si autem exstinctus; sua
& certa ratio accendendi iterum erat: quam Diony-
sius alibi se dixisse profitetur: sed nempe in libris, quos
fatum inuidit. Est ea tamen in Festo: &, Mos erat, inquit,
tabulam felicis materia tamdiu terebrare, quoisque exce-
ptum ignem cribro aeneo Virgo in adem ferret. Quam ra-
tionem eliciendi ignis Simplicius in Aristotelem etiam
*agnoscit: Α' πὸ ξύλων ἡ πῦρ εὐθάλεια, θάτερη τὸν ξύλων, III. De
Calo.*
ως τέρετρον, ἡ θατέρη φεισέφορτες: Ignem è lignis excutiunt,
alterum lignorum, tamquam terebram, in altero circumuer- I.
tentes. Tangit & Isidorus Pelusiota: & hodie adsidue Lib. ix.
epist. x.
vsurpant occidui orbis Indi. Similem ceremoniam Græ-

cis fuisse, Plutarchus tradit: sed paullò diuersam. Nam si quando sacer ibi ignis deuixit, negant eum fas esse ex alio igne accendi, sed nouum parandum eliciendissimumque ex ipso Sole. Quod faciunt² scaphis siue vasculis, qua parantur ex latere Trigoni rectanguli, quod duo latera aequalia habeat: deuergunt autem ex circumferentia in unum centrum. Cum igitur Soli opponuntur, ut radij eius in ipsum centrum cogantur & implicantur, aëre attenuato, fomenta leuisima & siccissima apponunt, quæ facillimè per renixum & reflexionem concipient accensum ignem. Hæc ita alibi: Romæ, ut dixi. Addo, etiam sine interstinctione vllà Ignis, solere nouum accendi, nouo anno. Macrobius: Primâ die Martij, ignem nouum Vestæ aris solent accendere, ut incipiente anno cura denuò seruandi nouati ignis inciperet. Ouidius:

Adde, quod arcana fieri nouus ignis in ade

Dicitur, & vires flamma refecta capit.

Vterque adducit, & argumentum habet, pro Martio, duce olim anni: ut sciamus annum, cum Vestales à Numâ institutæ, nondum sic auctum & correctum. Nam Martius certè posteà non princeps. Addit Ouidius:

Vesta quoque ut niteat folio velata recenti,

Cedit ab Iliacis laurea cana foci.*


Eodem illo primo die reliqua scilicet innouabant, & laurus veteres tollebant, nouas surrogabant.

N O T A E.

1. Tamquam terebram, in altero circumuententes.] Hoc genus Ignarij Theophrastus agnoscit, v. de Plantis, in fine: ubi & Terebram è Lauru sæpè factam ostendit. Nuela p. 11, inquit, yñera en noñalv. ærisa

ærisa d'è cù naru: & addit alia quedam item ligna, vt Rhamnum. Tum deinde: ðeñ d'è tñv èq'caw cù tñv pñiñ, tò d'è tñv tñv cù d'è vñc: Ignaria è multis lignis hunt; optima è nuce iuglante. Oportet autem receptaculum ex illis facere; at terebram ex lauru. Hunc locum opportunè suggestit *vetus amicus*, Hieronymus Mercurialis, litterariâ omni doctrinâ, & simul (raro exemplo) medicinâ clarissimus.

2. Scaphiis siue vasculis.] Ea sunt ex ære, & à Vitruvio Scaphia item appellantur. De formâ, aut formatione, obscuriuscula Plutarchi verba: et si interpretatione aliquid ego alluxi. Vult autem dictum, ex circumvolutione Trianguli, rectanguli, æquicruri (ισοσελης sic vertam) Vascula ista oriri, patula superne, & in arctum coeuntia. En figuram.



C A P V T I X.

Seruabant & imperij pignus, variâ interpretatione:
et si plerique ad Palladium trahant. Quid illud, unde, ubi?

ALTERVM Munus dixi fuisse, Adseruare. Quid autem? arcanum IMPERII PIGNVS, ut appellabant.

Lib. xxvi. Liuius: Vesta adem petitam, & aternos ignes, & conditum in penetrali fatale imperij pignus. Lucanus:

— in abstruso pignus memorabile templo.

VI. Fast. Ouidius:

Vidimus flia & transferri pignora Vesta.

III. Con.
rou. lib. I. Seneca pater: Veniet ad colendum Romani imperij pignus carnificis manu incesta? Quid autem pignus istud & cuiusmodi fuerit, in arcana habebant: & ideo variant auctores. Dionysius ait: Εἰσὶ δέ πνεοι φασὶν ἔξω τοῦ πυρός δοπῆρης τοῖς πολοῖς ιερῷ καθαί λυάτη τῷ τεμέντῳ θεᾶς, ὃν ὅτε ιεροφαντεύοντες γνῶσιν ἔχοι τοι παρθένοι. Sunt qui afferant, prater ignem, arcana & multitudini non efferenda sacra, in deo templo esse deposita, quorum Pontifices notitiam habent, itemque ipsa Virgines. Addit signum huic rei certum, quod cum templum olim arderet, L. Metellus Pontifex, trepidantibus Virginibus, irrupisse in ardens penetrale dicitur, & Sacra in flammis eripuisse: id quod subscriptum statuæ eius in Capitolio legebatur. Iterumque Dionysius: Huic rei confessæ, addunt coniecturas suas. alij seruari sacrorum partem è Samothraciâ, quæ Dardanus Troiam, Aeneas in Italiæ aduixerit: alij calo delapsum Palladium, quod verum idem Aeneas adspor tarit.

nam

nam falsum & adsimilatum Achiuos furto sustulisse.

Hæc ille: videamus. Prima opinio de *Sacris Samothracum*, quæ & in Plutarcho expressa: *censere quosdam, deos*<sup>In Camil.
lo.</sup>

Samothracum hic condi: 'quos cum Penatibus alij confundunt. Videaturque Tacitus in hac parte, vbi de Neroniano incendio: *Numa regia, & delubrum Vestæ, cum*^{xv. Annal.} *Penatibus populi Romani exusta.* quasi Penates ecce illic asseruati. Sed potest & aliter capi, vt Vestæ delubrum, itemque Penatium templum, haud procul inde in Ve- liâ, sint exusta. Altera opinio, de *Palladio*, quæ in vulgus maximè recepta est, & nobile illud fecit ac decantatum. Quid appellamus? ^{2.} Palladis minutam effigiem,

Græcanicâ sermonis formâ Eustathius: *Tὰ τὸ Παλλαδόν*^{In 1. Iliad.}

εἴδωλα, Παλλαδία Τις παλαιοῖς ὄνομά ζοται: Palladis images Palladia antiquis appellantur. Multa super isto multi: Apollodorus intellegendo sufficiet. *Ac calo hoc de-*^{111. Bibl.} *lapsum est, & flo regi traditum.* Erat autem magnitudine tricubitale: habitu quasi ingredientis: dextrâ hastam sublatam præferebat, sinistrâ fusum & colum. Exstant in gente Iuliâ Numi, quibus Æneas insculptus visitur, sinistra Anchisem humeris tolerans, dextrâ Palladium istud gestans. Itaque plurium, vt dixi, hæc opinio. Liuij, vt apparet: *Quid de æternis Vestæ ignibus, SIGNOQUE, quod im-*^{Lib. v.} *perij pignus custodiâ eius templi tenetur, loquar?* Signo, nempe hoc Palladis. Lucani certè:

— nulliq; adspectu virorum
Pallas, in abstruso pignus memorabile templo.

Obserua, nulli virorum: solis ergo Virginibus fas videre.

Idem poëta, de Vestali:

Troianam soli cui fas vidisse Mineruam.

Lib. i.

Sed nec Pontifici Maximo fas: etsi esse sciebat & coli: ex Dionysio suprà adstructum. Itaque nec impune Metello fuit vidisse, ut seruaret. Plinius: *Metellus orbam luminibus exegit senectutem, amissis incendio, cum Palladium raperet ex ade Vestae.* Ceterū & Cicero in hac sententiā: *Qui* (Brutus) *ita conseruandus est, ut id signum quod de calo delapsum Vestae custodiis continetur: quo saluo salui sumus futuri.* Nam ait, *de calo lapsu.* Propertius:

Phil. xi.

Lib. iv.
Eleg. iv.*Palladis extinctos si quis mirabitur ignes,**Ignoscat, lacrymis spargitur ara meis.*

Vbi & ipsum cultum ignium Palladi adscribit. Sicut in Martyrologiis quibusdam nostris, *Daria scribitur Minervia sacerdos fuisse: quae aliis simpliciter est Vestalis.*

Camillo.

Tertiam opinionem licet addere, ex Plutarcho: *Qui plus in his rebus volunt sapere, duo Dolia haud magna recondi aiunt. atque unum ex ijs plenum esse, ob signatumque; alterum vacuum. utrumque tamen solis virginum oculis usurpandum.* Quae dant & capiunt lucem è Lampridio, in Eligabalo: *Qui penetrare, inquit, sacrum auferre est conatus. cum Seriam (sive Dolium) quasi veram rapuerisset, quam Virgo Maxima falsam monstrauerat. atque in ea nihil repperisset, applosam fregit.* Sed idem Lampridius an non subindicat in ipsâ Seriâ Palladium hoc fuisse? Nam de eodem principe, an pecude, ait: *Signum quod Palladium esse credebat, abstulit.* Incerta hæc igitur: & bono religiosoque animo Dionysius; *Ego, inquit, ad seruari à Virginibus non Ignem solum, sed et Sacra quedam vulgo incognita, multis indicis colligo: sed quae ista sint, neque me, neque alium qui religiosè deos et diuina colit, inquirere curiosè oportere arbitror.* Atque ipsi sanè

Roma-

Romani velabant, si non vetabant. Itaque in operto habebant, in adyto & Penetrali, quod *Penum* vocabant. Festus: *Penus* vocatur, locus intimus in æde *Vesta* tegetibus septus: qui certis diebus circa *Vestalia* aperitur. Ii dies religiosi habentur. De eodem etiam Lampridius: Impius ille Eligabulus *Penum Vestæ*, quo sola *Virgines*, solique Pontifices adeunt, irrupit. Ergo & Pontifices? appetet, sed non ut viderent. Adire, hoc satis iis fuit. Sed nonne ipse Eligabulus, exemplo omnium Principum, tunc Pontifex maximus? certè, & Numi centeni dicunt. Quid ergo Lampridi culpas? hactenus non potes, nisi quod abstulit tamen, & conatus videre. Nefas. atque ita Herodianus, ut prodigiosam rem narrat: quod Commodi imperio *Vestæ templum arserit*, & nudum visum sit Palladium, Lib. 1.
quod Romani & colunt maximè & celant: visum, dico, tunc primum post allatum ab *Flio in Italiam*. Legas, & hæreas. ergone tunc primum? Atqui & à Metello Pontifice raptum ex incendio, & conspectū vnà dicas (vnde enim oculi aliter amissi?) & in Dion scriptum, sub Augusto *Vestam arsisse*, & *Virgines Palladium extulisse*, ac posuisse Lib. 11.
in domo Augusti. Sed dicere licet ac credere, *nudum* non visum, quod in Herodiano erat; sed velamento suo, siue Seriâ, obductum. Ac talis fortasse in Statio sensus, & allusio: vbi Tydeus Palladi vota faciens, ait;

*Peruigilemque focis ignem longana sacerdos
Nutriet, arcanum non inspectura pudorem.*

Lib. 11.
Thebaid.

Hic Scholia festus: *Arcanum Pudorem dicit, aut eius simulacrum verum, id est Palladium: quo quidam (Metellus) quondam viso, priuatus est visu: aut virginitatem eius.* Etsi magis pro verbis Statij videatur altera interpretatione

tatio de *Virginitate*, siue *Virginal* mauis dicere: atque
 eam partem in hoc signo semper, religione quâdam ob-
 uelatam fuisse. Non ita in aliis, quæ nudare, lauare, vn-
 gere solenne erat. Satis de Palladio. vnum ex Dionysio
 Lib. VI. subtexo ambiguæ vel obscuræ notitiæ: *Nautium quem-*
dam è comitibus Aeneas sacerdotem Minerua Vrbica fuisse,
eiusque simulacrum secum Troiâ extulisse. quod, inquit,
aſeruabant alij ab aliis fuscipientes, quicumque eius gentis
eſſent. Estne de isto nostro, an alio? an iam olim dumta-
 xat adseruauit ea gens, ante conditum *Vestæ templum?*
 Etsi Cedrenus à Romulo *Martis adem sacram tam vult,*
 & in eâ repositum tunc *Palladium.* Ouidius etiam de au-
 vi. Faſt. & tore vel aduectore Palladij satis incerto:

*Dismedes *Seu * genus Adrasti, seu furtis aptus Vlyſſes,*

Seu pius Aeneas, eripuisse ferunt.

Auctor in incerto est. reſeſt Romana: tuetur

Vesta, quid aſiduo lumine cuncta videt.

N O T A E.

1. Quos cum Peñatibus alij confundunt.] Et Nummi sunt,
 qui huic facere videntur, & Penates *Vestæ iungunt.* ut ife.

N. Com. Imp. A.



2. Pal-

2. Palladis minutam effigiem.] In Nummis sepè expressam:
Et hic vide.

Num. Argent.



N. Iul. Caes. R.



Neronis Aur. et R.



Vespas. A. Item Titi.



Item ex restituione
Traiani Imp. cum
hac inscriptione
IMP. CAES.
TRAIAN. AVG.
GER. DAC. PP. REST.

C A P V A T u m X.

Sacra etiam assida faciebant. an & Aqua curabunt? an Draconi? hac inquisita: Et aliquid de Deo Fonte.

TERTIVM dixi Munus Sacrificare. Atque id ad siduum penè erat, diu noctuque. Seneca, De Provi-
dentiâ: *Quid porrò? non est iniquum nobilissimas Virgines* Cap. v.
ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno in-
quinatas frui? Prudentius:

Hoc illud meritum est, quòd continuare feruntur

Excubias, Latij pro maiestate Palati.

Et in Nummis passim Vestalis sacrificans, ipso habitu
quem Festus describit: *Armata virgo dicebatur sacrifi-*

E cans,

II. contra
Sym.

cans, cui lacinia togæ in humerum reiecta. De quo cultu aliquid & idem Festus: *Suffibulum, vestimentum album, praetextum, quadrangulum, oblongum, quod in capite Vestales, cum sacrificant, semper habent: idque fibula comprehenditur.* De sacrificiis autem ipsis, aut eorum ritibus, longum & tenue sit h̄ic dicere: omitto. quod dubium sit, magis inquirō. Etiāne Aquæ Virgines curabant? Ex Suidā hoc adstruitur: Νῦμας τὰς Εἰσιάς παρθένοις Ἐπυργίς Καὶ υδατεῖς τλεύ ἐπιμέλειαν ἔχειν περιπέψει: Numa Virginis Vestales IGNIS ET AQUÆ curam habere demandauit. Totidem ferè verbis hoc legas in Georgio Cedreno. Cūr tamē alij veterum silent? aut quæ hæc Aquæ cura? Opinor non aliam, quām quod Fonti Camœnarum præsent. ex quæ eo solo aquam ad sacra peterent. Possit sanè aliquis ad Physiologiam referre, quasi duo rerum principia coli Numa voluerit: sed ad rem ritumque firmandum Plutarchus nunc adhibeat. Ait, *Numam prata et campum, ubi plurimum cum Egeriâ versatus esset, Camœnus consecrassæ: tum addit: Τλεύ δὲ πηγὴν, η καλαρόδι τὸ χωεῖον, υδωρ ιερὸν διποδεῖξαι ταῖς Εἰσιάσι παρθένοις, ὅπως λαμβάνουσαι καὶ θυμέοντες αὐγούσσωσι καὶ παίνωσι τὸ αἰώνιον:* Fontem autem qui locum irrigat, AQUAM SACRAM Virginibus Vestæ attribuisse, ut ex eo COTTIDIE haurientes purificarent & aspergerent sacram adem. Nisi hæc aqua sit, cuius curam gesserint, non reperio: ad cottidianam quidem lauacionem illam, scio & Ouidium respexisse, dum de Siluiâ Vestali scribit:

*Sacra lauaturas manè petebat aquas:
etsi ex alio fonte ea (quippe sub Amulio) sumpsit. Itemque in Persio hoc fine, Vestales urnas legas. & in Pro-*

pertio de Tarpeiâ:

Urgebat medium fictilis urna caput.

Sed ut obiter addam, ille Fons Vestalibus dedicatus, sacer habitus, & in Deos etiam relatus, delubrum posteà accepit. de quo Iuuinalis:

Nunc SACRI FONTIS nemus & DELVBRA locantur Sat. III.

Iudeis.

Cicero: *Fontis delubrum Maſo ex Corsicâ dedicauit.* Fe- II. De
Divinat.
ſtus: *Fontinalia, fontium ſacra, unde & Fontinalis porta.*

Imò singulariè (& ſic corrige) *Fontis Sacra.* Symmachus:

*Sed enim præterea etiam Camœnarum religio, & SACRI Lib. I.
FONTIS, adnectitur: ita malo, quām aduertitur, ex scri-
ptoris mente. Fuit & alia aqua Vestæ haud longinqua,
Iuturnæ fons & lacus: ſed de eâ, quod huc faciat, nihil le-
gi. Simili in ambage vel nube eſt, quod in Siluestri Pon-
tificis Actis quibusdam legitur, Draconis eum ora clau-
ſiſſe, & perpetuo ergaſtulo mancipaffe: cui Kalendis singu-
lis à Virginibus Vestæ ſuppeditari ſolita ſint alimenta. Nam
quis veterum tale aliquid? eoq; ſperni aut abiici à magnis
viris, ut falsa, video: me cunctante, an non Tertullianus
huc adſpexerit, hiſce verbis: *Rome quidem, quæ Ignis il-* I ad Vxor.
cap. vi.
lius inextinguibilis imaginem tractant, auſpicia poenæ ſua
cum ipſo DRA CONE CVRANTES, de virginitate cenzentur.
Profectò dicit & Ignem curaſſe, & Draconem: vtrum-
que in imagine futurorum. Neque nimis abhorream, ta-
lia quædam, præter morem veterem, nouitiâ ſuperſtitio-
ne, & cauſâ aut caſu aliquo, adſumpta: quæ ideo priscis
nec diſta. Draconem quidem vnâ cum Bonâ Deâ cul-
tum, hoc legi: ſed quid ad Vestam? in quâ pergo.*


NOTAE.

1. In Nummis passim.] *Sacrificia & sacrificantes exprimuntur, & item vasa sacrorum. ut in istis.*

Hadriani Imp. AE.

A.R. & AE.

Num. Argent.



CAPUT XI.

Pramia & priuilegia earum. Ius testandi, Lictor, Carpentum, aliisque data.

MVNI A & labores vidimus: nunc iuste *Pramia & honores*, quibus ad illa excitatæ. Pleraque eorum Plutarchus exsequitur: & siquid defiet, addam. Ait: *Honores magnos Numa iis tribuit. veluti quod viuo patre testari possint, atque alia facere sine auctore (dūmācātū) eo modo & iure, quo matribus trium liberorum id permisum. Item lictor praeedit exeentes. Quod si reo, ad supplicium qui dicitur, fortuitu facta sint obvia, is pœna liberatur. Oportet autem iurare, à casu, non à consilio, fuisse hunc occursum. Qui vero lecticam earum aut sellam quam vehuntur subit, morte id luit. Hæc more nostro lustremus paullum, & illustremus. Ait primò, ius testandi habuisse. scilicet quia statim exibant è patriâ aliaq; omni potestate:*

& æta-

& ætatis deliquum leges benignè supplebant. Adeò ut vel *sexennes*, id est primo anno quo cæptæ, testari possent.

Sozomenus disertim: *Oi πάλαι P'ωναιοις αἰδεψ διατίθεται*
1. Eccl.
Hist. c. ix.

τὰς Εὐστάκιας παρθένοις, ἣ εἴσαι τεῖς στασι, ἐνομοτέρην δὲ: Prisci Romani liberè testari Virgines Vestales, etiam sexennes, lege sanxerunt. Addit Plutarchus, Praemia habuisse, quæ trium liberū matres. At reuerà non Numa hoc (neque enim tunc de isto iure) sed Augustus instituit. quod Dio

in loco & anno suo scripsit: Ταῦτα, inquit, αἱ παρθένοις πάντα,
Lib. LV.

ὅσα πέρι τε καὶ τοιαῦτα εἰχον, εἰχαπίστατο: Vesta Virginibus omnia, quæ matres habebant, indulxit. Alius honos: procedere

εἰς deducere lictorem. Id quoque non à Numâ, sed

Triumuiris referunt acceptum. Dio Cassius: Ταῦτα αἱ παρ-
θένοις παρθένοις εἰς ἑνάσην χειρῶνται εἰδῶντες: Virginibus Vesta

singulis lictore uno uti dederunt. Et caussam siue τοξόφασιν

addit. quod vna aliqua earum vesperi à cœnâ rediens,

& incognita, malè habita ac violata esset. Tutela igitur

& decus, Lictor additus. Seneca pater: Procedente hac
1. Com-
trou.

lictor submouere iubebitur: huic Prator viâ cedet: summum

imperium Consules cedent tibi. In eodem alibi: Tibi ma-
VI. Con-
trou. vlt.

gistratus suos fasces submittunt: tibi Consules Pratorésque

viâ cedunt. Numquid exigua mercede virgoes? Atten-

de: omnem honorem huic sacro ministerio, & ipsos

Consules cessisse. Quartum in Plutarcho: morte liberasse,

illi addictos. Credo: sed de Iuramento fortuiti occursum

nodum aut remoram habet. quomodo enim? cum nec

iurare omnino Vestalis deberet? Ita sancè in edicto Prä-

toris perpetuo, apud Agellum: Sacerdotem Vestalem,
Lib. x.c.xv.

εἰς Flaminem Dialem, in omni iurisdictione meâ iurare

non cogam. Nec de iuramento controuerto: tamen in foro

auditæ, & pro testimonio dixisse, Tacitus palam firmat.
 II. Annal. *Missus est Praetor*, (de Vrgulaniâ quâdam, gratiosâ au-
 licâ) qui domi interrogaret: cùm Virgines Vestales in foro
 & iudicio audiri, quoties testimonium dicerent, vetus mos
 fuerit. Venisse igitur in forum, testes adhibitas, liquet:
 sed, ex Edicti verbis, non iuratas dixisse, nisi si vellent.
 Nam est in Edicto, *non cogam*. Religionis igitur hono-
 re, voluerint vel iniuratis credi. Ultimum in Plutarcho:
Siquis lecticam subisset, morte plecti. In Græco est, ω φο-
 γειον: gestamen. Quod commune nomen est, & pluri-
 mū Lecticam aut Sellam signat: atque ita latas, cùm
 mos suadet, tum Ambrosij de ipsis verba: *Pompa lectica*,
ministrorum circumfusa comitatu. Sed addo, & Pilento
 siue Carpento plurimū vectas. Prudentius:

*Fertur per medias, ut publica pompa, plateas
 Pilento residens molli:*

III. Ann. Tacitus: *Suum quoque fastigium Agrippina altius tolle-*
* Vide me in Com-
ment. *re, carpento Capitolum ingredi: qui mos sacerdotibus &*
sacris antiquitus concessus, venerationem augebat fami-
nia. Sacerdotibus, nempe istis Vestæ, sed & Flaminibus

Lib. I. *olim. Liuius: Ad fidei sacrarium Flamines bigis, curru ar-*
cuato, vehi insit. Quis ille currus arcuatus? carpentum, id
est rectum supernè, & cameræ in modum. Talia enim
hæc fuisse, Nummi hodie dicunt, qui plures exstant: ne-
que à Thensâ nimis diuersum fuit. Id quoque enim ve-
hiculum sacrorum. Quia igitur ita rectum, & velut soli-
dum perfectumque vehiculum, Dio Cassius dixisse vide-
tur & circumscriptisse, αρμα ὅλον. Utin honoribus Iulio

Lib. XII. Cæsari, tamquā Deo decretis: Υἱεῖς τὸ Καρπα ὅλον εὐται-

Deni-

Denique & currum integrum, siue Thensam, unā cum Deorim statuis, in Circum inferri decrērunt. Simile in libro sequenti, de eodem Iulio: Καὶ ἐν τοῖς περιστομίαις ὁ χλωρὸς γένεται εἰς φιλότητα: Legendum videtur, ὁ χονὸς λόνος, ex priore loco: si tamen lectio illa certa. Id esset: Et in Circensibus thensam introduci censuerunt. Suetonius ad ista: Quædam ampliora humano fastigio decerni sibi passus est, Thensam & Ferculum Circensi pompā. Itaque non nimis diuersa (quod ad formam) Thensa, Carpentum siue Pilentum: sed prius illud diis adtributum, alia eorum etiam ministris. Sed ad Vestales. quid ergo vult Plutarchus? Siquis subisset, inquit. nonne per proteruiam aut ludibriū, & quasi velandis illis reuelandis? An significat, in idem vehiculum ascendisse? Et apparet tale aliquid factitatum ab improbulis, in matronarum transuētione: sed hīc, honori Virginum, morte vindicatum.

C A P V T X I I .

Item ornamenta aut insignia: ut Vitta, Purpura in Veste, Stipendia & Agri, Auctoritas in deprecando.

AT Q V E isti honores siue prærogatiæ ex Plutarcho: alias alibi repperi, opportunè adtexendas. Sicut in ipso cultu aliquid eximium. in primis Vitta in capite, ut in Deo Deæve consecratis. Prudentius:

17. Contra Sym.

— sedet illa verendis

Vittarum insignis phaleris.

Idem explicat:

— cingunt

Tempora teniolis, & licia crinibus addunt.

Oui-

Ouidius, de Iliâ iam compressâ;

Decidit ante sacros lanea vitta focos.

Ingeniosè, quasi non iam Vestalis, amissâ virginitate, nec dignanda illis insignibus. Sic Dionysius scripsit: *Licere nubere, post annos impletos, àm̄, inquit, θυθείσας τὰ σέμια, ἐπὶ λοιπὰ τὸ εργούντων αὐτῆς: sed depositis vittis, & que alia sunt Sacerdotij insignia. Quae igitur alia? In Ambrosio aliquid: Insula vittati capitum, purpuratarum vestium murices. Nota & vestes purpuratas fuisse: nempe prætextâ eas usas, id est limbo in oris purpureo. Nam ita Magistratus, atque item (ex Liuio aliisque) Sacerdotes. Ergo & Vestales, ut suprà in *Suffibulo* obserues. Non pugnat cum istis Suidas, qui scripsit: Οὐ μέρω, ὅτε δύτεον, οὐ χιματίῳ χειρῶσινεχωρεῖται λεπτὸν. Non vnguento iis, non floribus, non veste uti concesserunt, nisi albâ. Quæ vera sunt, & inducta contra lasciviam: sed purpuratas eas, non purpureas dicimus fuisse. Veste albâ usæ, sed limbo, ut diximus, punicante: non tamen floridâ, aut variegatâ, ut aliæ solent. In carbaso etiam aut tenui lino fuisse, ex Valerio & Dionysio aliquis dicat: ubi de Æmilia Vestali. Dionysius quidem: *anulisse & defregisse* ait, δητὸς καρπασίνες ἐδῆτες, λεπτὸν χειρῶσινεχωρεῖται τελαμώνα: à carbasinâ suâ veste, quam indutui habebat, laciniam, & imposuisse Aræ. Nec de cultu alia habeo: nisi capillum in spiras quasdam plexum & diuisum, tum vittis illigatum, à tergo & in ceruices anulatim dependisse. Prudenter ea mens:*

Perfundunt quia colla comis benè, vel quia cingunt,

Tempora taniolis.

Neque enim vult perfundi vel flagellari sparsò capillitio,
sed

sed sic aggesto & suspenso. In Statuâ Romæ repertâ (quam in fine repræsento) palam videbis. Aliquis etiam ambigat, an non tonderi solite (ritu nostrarum Virginum quæ Deo sacrantur) ex Plinio: *Antiquior est lotos, quæca.* Lib. xvi.
pillata dicitur, quoniam Virginum Vestalium ad eam crinis defertur. & Festo: Capillatam vel Capillarem arborrem dicunt, in quâ capillum tonsum suspendebant. Semel igitur tonsæ, atque in ingressu, fortasse: & capillum hunc Deæ Vestæ suspendebant. An & aliâs crinem eò, caducum, vulsum, scissum, deferebant? in obscuro hæc, atque etiam in paruo. Magis nouum & notandum de Bullâ, siue Phylacterium, aut aliud ad Ornatum fuit, quod in dicta illâ Statuâ à pectore dependet: vide, & quæ ibi notantur. Addo, præter hæc Ornamenta aut Insignia, res & fructus etiam accessisse: id est, Stipendia & Opes. Liuius, de ipso Numâ: *His stipendium de publico statuit: vt vacuæ scilicet ab aliis curis, Deæ & sacris operarentur.* Et credo agros à Numâ attributos, quorum vectigalibus alerentur. Incertus auctor, de Limitibus: *Vt nominibus vetustis utantur. vt, vectigalis ager Virginum, Vestearis: nempe, non Vestalis, vt vulgo.* Hyginus item, de Limitibus: *Virginum quoque Vestalium & sacerdotum quidam agri vectigalibus sunt redditi locatim.* Sed & Augustus adiecit. de quo vniuersè Suetonius: *Sacerdotum & dignitatem & commoda auxit, PRÆCIPVE Vestalium virginum.* Aliquid in Catalogo Coloniarum, quem scriptum vidi: *Lannuum muro cinctum, colonia deducta à D. Julio.* Ager eius, limitibus Augusteis, pro parte est ad signatus milibus veteranis, & pro parte Vestalium, lege Augustianâ, fuit. Imò & alios agros habuerunt

runt, à priuatis pietatis ergò (vt hodieque solet) legatos: quos omnes Fiscus eripuit sub Valente & Theodosio Principibus, inuidiosâ & disertâ sanè Symmachi querellâ: *Agros etiam, inquit, Virginibus & ministris deficien- tium voluntate legatos Fiscus retentat.* Plura addit, atque arguit: & Ambrosius noster contrâ obducit: *Sola sublata sunt prædia, quia non religiosè utebantur iis, quæ religionis iure defenderent.* Sed præter Agros, video & Pecuniam interdum cepisse. Tacitus, de Tiberio: *Cornelia Virgini, quæ in locum Scantiæ capiebatur, hs. vices dedit. quæ sunt nobis, quinquaginta Philipporum millia.* Hem, vni virgini? sic fuit. nec immerito obiicit iis Ambrosius, *Priuilegia maxima, LVCRA ingentia.* Atque inter Priuilegia, addamus: etiam ludis certo & honestissimo loco spectasse. Suetonius: *Virginibus Vestalibus locum in theatro separa- tim, & contra Prætoris tribunal, dedit Augustus: de quo nostra in Amphitheatro, sis, vide. Denique, vt finiam, Au- thoritas earum maxima, & in precibus, aut aliâ re, vix repudianda.* Cicero, cùm pro Fonteio caussam diceret, sori- ris eius Vestalis intercessione vsus: *Superbum sit, inquit, eius obsecrationem repudiare, cuius preces si Dij asperna- rentur, hac salua esse non possent.* Atque inter exempla est 1. *Claudia Vestalis, quæ fratrem iniussu populi (in Sueto- nio) triumphantem, ad scenso simul curru, usque in Capito- lium prosecuta est, ne vetare aut intercedere cuiquam Tri- bunorum fas esset.* Adeò & leges & magistratus reueriti sunt hanc impotentem, vt sic dicam, potestatem. Adde Suetonium in Julio cap. i. in Vitellio cap. xvi. Tacitum III. Historiarum, & plures.

In Aug.
cap. XLIV.


Tiber. c. 11

NOTÆ.

N O T .

i. Claudia Vestalis.] *Cuius imaginem visum appingere è Fuluij Ursini gemmā.*

CLAVDIA VESTALIS.



C A P V T X I I I .

*Contrà, Pœna cum peccassent, cum suo varia : sed
sollennis & nobilis à Tarquinio Prisco. Pontifi-
ces arbitros fuisse : conuictam, defossam : & qua
huic rei.*

Hæc Præmia igitur, sed Virginum: nam pollutarum
Pœnæ etiam grandes & graues. Vetus lex fuit, Fe-
sto prodita: Probrum virginis Vestalis ut capite punire-
tur, vir qui eam incestauisset, verberibus necaretur. Lex

F 2 fixa

fixa in Atrio libertatis, cum multis aliis legibus incendio consumpta est, ut ait M. Cato. Sed cuius hæc lex? credam Numæ regis, qui simpliciter statuit incestam lapidibus obrui, sine aliâ supplicij pompâ: in Cedreno scriptum. Alia autem Albæ, ante Romam conditam: qua iuberet pollutam virgis ad necem cædi, Dionysio in rebus Iliæ tradente. Sed Tarquinius Priscus, qui numerum earum auxit, idem & poenam, & conspicuam magis horrendamque fecit. Sic enim in Zonarâ: *Vestalium corruptam*

- I. *vnam, specu subterraneo oblongo excavato, atque ibi lectulo posito, & lucernâ, & mensâ cibis refertâ, deducentibus eam multis, viuâmque includens obstruxit. Et sic deinceps pollutas puniri obtinuit. Qui autem polluerint, in lignum biceps, siue in furcam, collum inserunt, in ipso foro: atque ita ad necem eos cædunt.* Dionysius pariter ad Tarquinium refert, & primam sub eo Pinariam quamdam supplicio isto affectam. Quod vberiùs clariusque tamen narrat, & verba eius digna apponi. *Pœna, inquit, delinquentibus graues constituta: quarum arbitri & exactores sunt, ex lege, Pontifices. Qui virgis quidem cedunt compertas leuioris delicti: probrosas vero & incestas fœdissimo & maximè miserabili mactant suppicio. Viua enim, funebri ritu & pompâ, efferuntur: amicis ac cognatis, cum luctu & lacrimis, comitibus. Delatae autem ad portam Collinam, intra muros, subterraneâ in cellâ, cum funeralibus ornamentis, deponuntur: nec monumento porro dignatae, nec parentalibus, aliisve sollennibus defunctorum. Ita Dionysius: inhæreamus paullum, & magis etiam diffundamus. Ait, Pontifices arbitros. quod in omni eorum culpâ siue delicto obtinuit, caussamque apud hoc*

tribu-

tribunal dixerat. Liuius: *Postumia Vestalis de incesto causam dixit. ampliatam, deinde absolutam, pro collegij sententiâ Pontifex maximus abstinere iocis, colique sanctè potius quam scite iussit.* Nota obiter, & iocos & cultum scitiorem vetita. Quoadspe^ttu Declamatores Vestali dicam ob carmen istud scribunt: *Felices nuptæ moriar, nisi nubere dulce est: & addunt, Tu carmen scribas, tu verba pedibus suis emollias, & seueritatem templo debitam modulatione frangas?* Atque ibidem ostenditur, *omnis cultus luxuriosior, conuersatio cum viris licentior, iis interdicta.* Amplius nota, Pontifices omnes, id est collegium iudicasse: Pontifice tamen maximo conuocante, & præsidente. Plinius: *Cum Corneliam Maximam Vestalem defodere viuam Domitianus cupisset, ut qui illustrari sacrum suum eiusmodi exemplo arbitraretur: Pontificis maximi iure, seu potius immanitate tyranni, licentia domini, reliquos Pontifices non in Regiam, sed in Albanam villam conuocauit.* Vbi hoc culpat, non Pontifices conuocatos, sed in talem locum, id est Albanam villam: cum sullenne esset, in Regiam conuenire, quæ adsita templo Vestæ. Ad hanc Pontificis maximi cognitionem Statius resperxit, Domitiano blandiens:

*Templa super fulges, & prospectare videris,
An noua contemptis surgant pallatia flammis
Pulchrius? ant tacita vigilet face Troicus ignis,
Atque exploratas iam laudet Vesta ministras?*

Itemque Ouidius:

*Si mihi bellandi pater est Vestæq; sacerdos
Auctor, & vlcisci nomen virumque paro.*

Quæ facit Augustum dicere, parantem vlcisci mortem

In equo
Domit.

v. Faſt.

F 3 Iulij,

Lib. iv.

Senec.

lib. vi.

Controu.

Lib. iv.

epift. xi.

Iulij, & Patris sui, & Pontificis maximi. Neque enim aliud voluit, cum *Vestæ sacerdotem* scripsit: curantem scilicet huic Deæ, & sacra eius tuentem. Lego & in lapidibus: PONTIFEX VESTÆ. quo sensu? an quia proprius aliquis ei fuit? Præter hunc Maximum, Romæ nemo: & magis fortasse sit tales titulos ad prouincias coloniasque referri: vbi cum nullæ Vestales, Pontifex aliquis & velut Flamen proprius ei Deæ fuit. Moneo etiam, inferiore æuo aliquid huic pontificio detractū. & cognouisse quidem de culpâ, poenam tamen non exegisse: quæ Prefecto

Lib. ix ep. cxiii. & seq. vrbis reseruata fuit. Disces è Symmacho clarè: qui atate proximâ id institutum ostendit, id est Christianorum Principum aliquâ lege, nisi fallor. Sed ad Dionysium. addit: *Funebri pompâ efferri.* quod Plutarchus etiam ex-

In Numâ pressius: *Lectica inditam per Forum deferri, clausa vndique & loris reuincta, ut nec vox eius possit exaudiri.* Atque

Lib. viii. hoc de Foro, alibi item Dionysius, vbi de Opimia Vestali (Liuius est Oppia:) quam Pontifices, inquit, damnarunt, & demptis è capite vittis, per Forum traduxerunt, viuamque defoderunt. Vbi & Vittas atque ornamenta vides ablata, quia scilicet polluisset. Ouidius:

Nullaq; dicetur vittas temerare sacerdos

Hoc duce, nec viua defodietur humo.

Pergit Dionysius: Amicos cum luctu comitatos. Plutar- chus autem, non amicos tantum, sed totam ciuitatem in luctu & gemitu ponit, neque ullam in eâ diem tristiorum. Obuios autem viâ decedere, vasto ubique silentio, attoni- tósque omnes stare, aut comitari. Amplius Dionysius: Ad portam Collinam delatas. ad locum nempe, qui Sceleratus campus ideo dictus. Festus: Sceleratus campus proximè

por-

portam Collinam, in quo virgines Vestales, qua incestum fecerunt, viua defodiuntur. Item Liuius: *Eo anno Mucia Vestalis, facto indicio, viua sub terrâ, ad portam Collinam, dexterâ viâ stratâ, defossa Scelerato campo. ab incesto id ei loco nomen factum.* Plutarchus describit, *supercilio-sum & tumidum eum locum esse, & Latinâ voce Aggerem dici.* De quo Aggere (nec enim alias iste est) ego pluscula *De Militiâ Romanâ in occasione scripsi.* et si non totum Aggerem huic usui applicamus: proximam portâ tantum eius partem. Pergit Dionysius: *In subterraneâ cellâ. Græcè dixit σὺν γὰν πατεονδασμόν: ἀδικηλαμ sub terrâ structam:* sicut Plutarchus *οἰκονατάγθον*, alibi *οἰκημα*, at Plinius *cubiculum*, dixerunt. Amplius: *Cum funebribibus ornamentis.* quod accipio, ipsam ut cadauer vela-tam & cultam. Zonaras suprà dicebat, *Lectulum appositum, & lucernam, & mensam cum cibis.* De lectulo, nescio: fuitne velut ad cibum, & ut accumberet? an magis est funebrem capere, usui quem dicam. De aliis, Plutarchus etiam addicit, qui *lucernam ardentem, panis modicum, aqua & olei*, scribit deposita: ne *sacratiissimum illud corpus viderentur fame consumpsisse.* Dionysius deinde, in eâ cellâ deponi. Hoc est, quod Satyricus:

Sanguine adhuc viuo terram subitura sacerdos.

Quod tamen priusquam fieret (ex Plutarcho) Pontifex maximus arcanas quasdam preces, manibus in celum sub-latis, fundebat: tum ipse suâ manu eductam è lecticâ in scalis constituebat: & sic carnifici ac ministris supplicij tradebat. Plinius item de Corneliat: *Cum in illud subterraneum cubiculum demitteretur, hæsissetque (nempe in sca-lis) descendenti stola, vertit se ac recollegit. cùmque carnifex*

Lib. v
Dial. xiv.

In Numa
& Quæst.
Rom. xcvi.

manum

manum daret, auersata est & resiliuit, fœdumque contactum quasi planè à casto puroq; corpore reiecit. Atque his gestis, ait Plutarchus, scalæ attrahuntur, & adicula multa humo iniecta contegitur, donec reliquo aggeri solum adæquetur. Sed vincitam illam ibi, aut stantem sedentem ve obrutam, nemo declarat: putem in lecto depositam, de quo ex Zonarâ dixi. Claudit denique Dionysius: *Nec monumento, nec Parentalibus dignatas.* Et de monumento vel ideo monendum, quia inculpatæ in hoc quoque eximiae, & *Vestalium cineres* (ait Plutarchus) in *Foro ipso recondi fas erat.* At de Parentalibus, contronertat aliquis ex eodem Plutarcho, qui scribit: *defosâ Vestali, ne sic quidem Romanos quievisse, religione liberos:* atque adeò, μέχει νῦν, inquit, ἐναγίσοντες βαδίζοντες θηρίον τέπον: usque ad hoc autem Pontifices parentant, ad locum ipsum eentes. Sed quamquam uterque eodem verbo ἐναγίσθυτatur, putarim Plutarchum potius ad Expiationes aut Procurationes, quam ad vera Parentalia referendum. Habes supplicium, & caussam eius ex Ouidio:

Sic incesta perit. quia quam violauit, in illâ

Conditur: & Tellus Vestaq; numen idem est.

Etsi duplex etiam alia in Plutarcho. Vel, *quia igne Romani mortuos cremant: igne autem funerare eam, quæ Ignem parùm castè coluit, iniquum erat.* Vel, *quia corpus maximis consecratum ceremoniis occidere, aut manus mulieri adferre, nefas putauerunt.* Sub terram igitur condi, cum victu apposito, ut quasi sponte exanimata videretur. Atque hæc tollennia: Principes interdum immutarunt, aut mitigarunt. ut Domitianus: qui incesta *Vestalium virginum* (Suetonij verba) variè ac seuerè coercuit: priora

(sub

Quæst.
Rom. xcvi.

VI. Fast.

(sub patre aut fratre admissa) capitali supplicio; posteriora (suo principatu) more veteri. Addit deinde, prioribus liberum mortis arbitrium permisisse; Corneliam virginem. Maximam defodi imperasse: stupratorésque virgis in comitio ad necem cadi. Quod postremum de Stupratoribus, Zonaras è Tarquinij etiam lege fuisse ostendit. Apud Declamatores reperio, *Incestam de saxo deiici: sed scholi-*

Sen. r.
Controll.
III.

câ, opinor, & fictâ lege.

N O T Æ

1. Specu subterraneo.] Legimus in Martyrum actis, de Dariâ, quæ Chrysantho nupserat, olim Vestalis, iussam cum marito à Numeriano Imperatore, viâ Salariâ, in Arenario deponi, atque illâc viuentes terrâ & lapidibus obrui. In quo videntur, quasi Vestalem, cum Stupratore suo punire voluisse: certè ad veterem pœnam adspexisse.

2. Vbi cùm nullæ Vestales.] Non opinor, neque è veteri scripto ullo adstructum iri. Fama tamen & traditio est in pluribus locis, ut Agrippina, ut Valentianis nostris, atque alibi fuisse: sed fortasse sacerdotulas Minerue, aut & Vestæ: sed non iis legibus, aut ceremoniis quibus Romæ.

C A P V T X I V .

*Quando Vestales desierint? in Arnobio nodus, nec
bius solutus.*

FINI VI de Vestalibus: quæ & ipsæ finem suum sub Christianis mox Principibus inuenerunt. Quando? extremo Theodosij senioris ævo. Nam etsi concussæ anteà, & periclitatae sub Valentiniano, * Theodosio, Arcadio, quod ex Symmachij & Ambrosij epistolis constat: tamen animam traxere ad ultimum Theodosij, id est, de-

* Is fuit
sex.us
Theodosij
annus.

G cimum-

Lib. v.

cimum septimum Imperij eius annum: cùm ille *templa claudi, & sacrificia tolli lege iussit*. Præter alios, Zosimus clarè: *Theodosius maior, euersā Eugenij tyrannide, Romanam venit, & contemptum religionum in animis omnium excitauit, publicum sumptum ultrà dare ad sacrificia abnuens*. Pellebantur utriusque sexus sacerdotes, & fana sacrificiis abolitis deserta relinquebantur. Hæc ille. & lapides atque inscriptiones etiam testificantur, Vestales ad hoc æui circiter perseuerasse. Itaque mirum, bis mirum, Arnobium doctum illum res veteres scriptorem, Ignem perpetuum inter abolita aut desita iamdiu habere. Ita enim Romanos alloquitur, & arguit, *identidem in alios mores ac ritus, priorum condemnatione, transisse*. Tum adiungit & adstruit: *Numquid magistratus per populum creatis? in potestatibus obeundis leges conseruatis Annarias?*

I. *in penetralibus Vesta ignis perpetuos seruatis focos? quas interrogationes omnes negandi mente suscipi, palam est. Atquin Arnobium Diocletiani temporibus vixisse & scripsisse, id quoque palam est: id est, centum circiter ante Theodosij finem annis. Quis hæc defendit, aut soluit? nam vel maximè tunc sacra viguisse, Principibus eorum ex professo assertoribus, nemo neget. Quid etiam Symmacho & Ambrosio fiet, aliter proclamatibus? quid ipsi Arnobio in Arnobium dicenti? Nam ita in iisdem libris: Sedent in spectaculis publicis sacerdotum omnium, magistratumque collegia, nec non & castæ Virgines, PERPETVInutrices & conservatores IGNIS. De suo æuo dicit: nec ego, quid de priore loco dicam aut velem, habeo: manum tollo, & auxilium spesto.*

Lib. iv.

II. Adver.
Gent.

NOTÆ.

N O T A E.

1. In penetralibus Vestæ ignis perpetuos.] Fallor, aut ut hæc leguntur, non ipsa Pax conciliauerit cum sequenti loco, & cum vero. At enim libri scripti alio ducunt, quod monuit me P. Heribertus Rosweydis è Societate I E S V, vir eruditus. Illi enim: In penetralibus & colignis perpetuos fouetis focos. *Vnus*: In penè inpenetrabilibus & coliginis. Sagacitatem aliorum aduoco: succurrat. Mihi nunc istud, legendum: In penetralibus & colinis perpetuos fouetis focos? Et nihil de Vestâ capio, non certè illâ publicâ: sed referam ad priuatum in ædibus ritum, vbi antiquitus fgnem afferuabant & fouebant in parte interiore, & culinâ. Id factum Larium, aut & Vestâ priuatum honori. Varro in 1. De Vita pop. R. Colina dicta, quòd ibi colebant ignem. Nota de Cultu ignis: etsi aliter fateor posse capi. An etiam placet ad Vestam publicam referri, & culignis scribi? Ut velit olim non in Ara ignem illum structum, sed in Culignis & vasis fictilibus repositum: uti etiam nunc foueri sub cineribus solet. Si tamen Culignæ illo sensu aut vsu lectæ. quas alioqui scio vas potorum, aut sacrificale, in Festo, Varrone, Liuio esse.

C A P V T X V.

Alibi Ignis cultura, & simulacrum Vestalium.

LVBET autem pro Corollario addere, vbi locorum præcipue cultus etiam Ignis, siue imago aliqua Vestalium fuit. Apud Iudæos primùm. & Dei iussio: *Ignis* Leuit. c. vi. in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subiiciens ligna manè per singulos dies. Et mox: *Ignis est iste perpetuus*, qui numquam deficiet in altari. Habuere & Ægyptij. ac Diodorus vult seruandi ignem perpetuum, cælesti similem, morem ab illis natum, & ad alias gentes propagatum. Item Afri. & Plutarchus auctor, in Iouis Am-

De Defe-
cta orac.

monis λύχνον ἀστεῖον, siue lucernam inexstinctam, arsisse.
Silius videtur & in Arâ flamas statuere, vbi de hoc
templo:

Inrestincta focis seruant altaria flamma.

Lib. xxxii. Apud Indos, Ammianus: Brachmanes ferunt, si iustum
est credi, ignem calitus lapsum, apud se sempiternis foculis
custodiri. In Persis simile. & verba Procopij: Magnum
hic Pyram est (πυρέον, focus, siue Vas igniarium) quod
Persa inter omnes Deos maxime venerantur: ubi Ignem
perpetuum custodiunt Magi. Hic est Ignis, quem Vestam
olim Romani vocabant. atque alij plures de hoc Igne.

Lib. xv. Idem apud Cappadoces. Strabo: Εἰς πυρεῖα, σπικοι πυρεῖ
αξιόλογοι. Καὶ δὲ Τύρις μέσοις βωμοῖς, καὶ ωπολήτεσσοδοῖς, καὶ
πῦρ αστεῖον φυλάττουοι μάγοι. Sunt Pyrathaea, sacella qua-
dam modica: & in ijs mediis Ara, in quâ cinis multus, &
Ignem inexstinctum Magi seruant. Iam in Græciæ Pryta-
nēis, Pausanias sèpè commemorat ipsam hanc Vestam &
eternum focum, itemque Athenæus, & alij: iterumque
distinctè, Mantinea, in templo Cereris; Athenis, in Mi-
nerua; Delfis, in Apollinis. Imò & Virgines ipsas aliquot
locis habuere. Tertullianus: Noueram virgines Vestæ,

Exhort. ad
caffit. c. vlt.

I. & Junonis apud Achaia ganeum, & Atrociis apud Del-
phos, & Minerua, & Diana. Et quem hic Atrocem,
Apollinem interpretatur & indigerat De Monogamiâ
idem scriptor. Dubitet aliquis, an non Atrecem, id est
ατρεκην siue Veracem, à diuinandi calliditate voluerit di-
ctum. Video & Persas Soli virgines sacrasse. de quibus
Iustinus: Artaxerxem regem, ne Aspasiam pellicem filio
daret, & honestè negaret, quod temerè promiserat, Solis
sacerdotio præfecisse, quo perpetua illi ab omnibus viris pu-
dici-

Lib. x.

dicitia imperabatur. Si millimum nuper, priusquam Hispani Regi & Religioni subegissent, in toto Perùano tra-
ctu. vbi crebra & magna tempa dicata Soli, & in iis vir-
gines sapè ducentas fuisse tradunt qui viderunt: è quibus si-
qua corpus polluisset, morte luebat, nisi tamen è Sole se con-
cepisse (ride credulitatem superstitionis) sanctè adiuraf-
set. Satis de *Vesta* & *Vestalibus*: quas olim nobiles, sed
æuo obscuratas, iterum in lucem protraximus, bono (ita
confidimus) veterum scriptorum.

P. Cieca,
& Augu-
stinus Ca-
rata.

N O T A E.

i. Apud Achaiæ ganeum, & Atrocis apud Delphos.] Hæc Ter-
tulliani, illustrissimum genus & ingenium Scaliger, legit: Achaiæ
Ægium, & Apollinis apud Delphos. Non retractem. et si P. Heri-
bertus Rosvveydus Atroceum assertum ibat, & conuenire Apollini,
qui apud Homerum d'ewōς Θεός, grauis Deus dicitur: apud Statium,
— arcu crudelis Apollo.

Intellegit autem vates sacerdotesque Delphicas, que Virgines.

*Inscriptiones aliquot de VESTALIBVS in
memoriis priscis.*

Romæ, in basi, cui Statua olim superposita.

N V M I S I A E. M A * C I O R I I E. C R A D I
X I M I L L A E. * V. V. M. V.
M A X. T I. I V L. B A L
B I L L V S. * S. S O L I S
D E D. I D I B. I A N.
L. A N N I O. F A B I A N O T A
M. N O N I O. M U C I A N O C O S.

* Virginē
Vestali
Maxima.

* Sacerdos.

In vrnula sepulchrali.

D. M.

TEIÆ. EUPHROSINES

RUFINAE. V. V.

DELICATÆ.

In basi.

COELIAE. CLAVDIANÆ

V. V. MAXIMÆ.

A. DIIS. ELECTÆ. MERITO

SIBI. TALEM. ANTISTITEM

NUMEN. VESTÆ. RESERVARE

VOLVIT.

COELIA. NUMERIANA. SOROR. VNA

CVM. PIERIO. CONIVGE. AC. LIBERIS

SVIS. ORANTES. VT. PER. *TOT. SECULA

FACERE. DII. PERMITTANT.

Romæ.

* Quot
nempe ipsi
cum liberis
essent.
Egregia
adulatio.

* CLOELIAE. CLAVDIANÆ.

V. V. MAX

RELIGIOSISSIMÆ. BENIGNISSI

MAEQUE. CVVS. RITVS. ET. PLENAM

SACRORVM. ERGA. DEOS

ADMINISTRATIONEM

VRBIS. AETERNAE. LAUDIBVS

* S.S.

DE VESTA ET VESTALIB. SYNTAG.

35

* Sanctus
Senatus.

* S. S. COMPROBAT. OCTAVIA
HONORATA. V. V. DIVINIS
EIVS. ADMONITIONIBVS
SEMPER. PROVOCATA
COLLOCATA. XII. KAL. APRIL
C. AVFIDIO. ATTICO
C. ASINIO. PRÆTEXTATO
COS.

Romæ, trans Tiberim, item in basi.

COMPROBAT
TERENTIÆ V. V.
FLAVOLÆ. V. V.
MAXIMAE
AVREL. IVLIVS. BAL
BILLVS. SAC. SOL
OB. PLVRA. EIVS
IN. SE. MERITA
D. D. PR. NON. APRIL.
LÆTO. II. ET CERIALE
COS.

Romæ.

TERENTIÆ. RUFILLÆ
V. V. MAX.
DED. PRID. NON. MAI
TITIANO. II. ET NEPOTIANO
COS.

* CVR. AVRELIO. NICETA.

* Curante

Romæ.

IVSTI LIPSI
DE AESTA
a. COMPROMPTA OCTAVIA
HONORATA
EIAS. ADMONITIONES

Rome.

FL. MANILIAE. V. V. MAX.
CVIVS. EGREGIAM. SANCTIMO
NIAM. ET. VENERABILEM
MORVM. DISCIPLINAM.
IN. DEOS. QVOQVE. PERVIGILEM
ADMINISTRATIONEM
SENATVS. LAVDANDO
COMPROBAVIT
AEMILIUS. FRATER. ET
RVFINVS. FRATER. ET
FLAVII. SILVANVS. ET
EIRENEVS. SORORIS. FILII
A. MILITIIS. OB. EXIMIA
ERGA. SE. PIETATEM
PRAESTANTIAMQVE

Ibidem.

FL. PVBLICIAE. V. V. MAX.
SANCTISSIMAE. ET. PISSIMAE.
AC. SVPER. OMNES. RETRO
RELIGIOSISSIMAE. PVRISSIMAE. ET
CASTISSIMAEQVE.
CVIVS. RELIGIOSAM. CVRAM
SACRORVM. ET. MORVM. PRAEDITIT
CABILEM. DISCIPLINAM.
NVMEN. QVOQVE. VESTAE. COMPROBAVIT.

Q. VE-

~~38~~ Q. VETVRIVS. MEMPHIVS. V. E.

*FICTOR. V. V. DIGNATIONIS. ERGA. SE

HONORISQVE. CAVSA. PLVRIMIS

IN. SE. CONLATIS. BENEFICIIS.

Ibidem, de eâdem.

FL. PVBLICÆ. V. V. MAX

MERITO. SANCTISSIMÆ. AC. PISSI

MÆ. QVÆ. RITE. ET. PERVIGILI. ADMINIS

TRATIONE. OMNES. GRADVS. LAVDE

CVMVLATA. SACRA. SVA. VENERATA. VI

VIT. VT. SECVLARI. ÆTATE. ET. MINISTERIO

ADSIT. ET. IN FVTORO. PERSEVERET

Q. TERENTIVS. RVFVS. ET. CÆNIA

VERISSIMA. PARENTES

TERENTIÆ. RVFILLAE. V. V.

CVIVS. MVLTI. TEMPORIS. BONITATEM

ET. HUMANITATEM. EIVS. CIRCA. SE

IN. BREVI. SENSE R VNT.

Ex his talibus vides adulaciones laudesque erga *Vestales Maximas*: appetetque magnas iis opes fuisse, ut dixi, & administrationem permissam, copiamque benignè faciendi. Est & Romæ nuper eruta Statua, quæ adseruatur apud III^{mum} Cardinalem Cæsium: ubi habitus cultusque *Vestalis Maxima*, quem hîc vides. Sed de illo antepeitorali variè quæri potest: nec apud veteres opinor reperiri. An proprius ornatus & insigne *Maxima* huius fuit?

H an

* Scripsi
II. Elect.
C. XXVIII.

DE AESTATE. ETATIS VITI. STYLIS
an & nouitia inferioris æui usuratio cogitetur: tu Statuam vide, ab amico meo Jo. Hemelario, optimo & suauissimo viro, descriptam & transmissam. Statua est, inquit, è marmore Pario candidissimo perfectissimi operis, capite, brachiis, & summitatibus pedum mutila: habuit & monile baccatum, è quo bulla dependebat ab humeris, sed illud comminutum est dum statua transportabatur. A tergo apparent vitta, è collo sine capite in nodum defluentes. capillorum non apparent extremitates. Inscriptio labentis Imperij tempus referre uidetur, ob litterarum formas ductusque imperfectiores, & interpunctiones omissas.

CAVALVATA. SACRA. SA. AVENFATA. VI

ALIA. SECULARIA. ETATE. ET MINISTERIA

AD SIT. ET IN FAVOLO. PRESERVET

O. TERRINITAS. RAVIAS. ETC. VARIANTES

APPROBATIO.

Syntagma istud dignum luce est, quod ad Priscorum lucem conferat plurimum. 7. Kalend. April.

IN BREVIARIIS SANCTI JEROME
Guilielmus Fabricius Noviomagus Apostolicus
& Archiducalis librorum Censor.

Ex his capillis videlicet apud inscriptionem fundatam eiis V. die Ianuarii Maxima: sapientia domini operaria. At gixi. 25. saeculariis rationeis benevoliis, copiis mundae perdidit. Et ergo Romae ubi electi Sicilia, dux sapientiam dicunt. Quod III. milles. Cognitissimum Celum. At ipsius scientia nullum. Nam dux p[ro]p[ter]e. Sed q[ui]de nullo arbitrio. Quidam autem dux p[ro]p[ter]e. Nec quod accedit obimot esse. An aliquam opus est? Nunc q[ui]d p[ro]p[ter]e. Vnde

NE H



*Vittæ in hunc modum
a tergo conspicuntur.*

*Monile in hanc
fere formam.*

COELIAE CONCORDIAE VIRGINI
VESTALI MAXIMA FABIA PAV
LINA C.F. STATVAM FACIEN
DAM CONLOCANDAMQVE
CVRavit CVM PROPTER
EGREGIAM EIVS PUDICI
TIAM INSIGNEMQVE
CIRCA CVITVM NVMINVM
SANCTITATEM TVM QVOD
KÆC PRIOR EIVS VIRO
VETTIO AGORIO PRAETEXTA
TO V.C. OMNIA SINGVLARI
DIGNOQE ETIAM AB KVVIS
MODI VIRGINIBVS ET SA
CERDOTIBVS COLI STATV
AM CONLOCARAT.

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

RUDOLPHVS SECUNDVS diuina fauente clemētia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriaæ, Carinthiaæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Nostro & Sacri Imperij fideli dilecto IUSTO LIPSI O gratiam nostram Cæsaream. Postquam inter alia, quæ DEVS immortalis hominibus liberali manu dedit dona, illustria in primis illa & quasi diuina sunt, quæ in litteris liberalibusque disciplinis consistunt, quibus scilicet homines non tantum ab animalibus ceteris rationis expertibus, sed à rudi etiam & imperito hominum vulgo ita distinguuntur, ut tanquam DiJ quidam splendescere in terris videantur: rem sanè præclaram sequere dignam illi præstant, qui diligentem iis ipsis in litteris ac disciplinis operam ponunt præclarissimam verò & Reipub. utilissimam, qui eas ita excolunt, ut aliorum menti docendo, scribendo lumina præferant, eosq; ex ignorantia tenebris quasi manu educant. Quos excitare, quos amare atque animare ad dignitatis nostræ munus, ad quod Diuino vocati beneficio concessuq; sumus, in primis pertinere existimamus. Cum itaque ab iis, quorum nobis spectata fides, quiq; iudicare de Litteris possint, acceperimus, insignes te animi ingeniique tui dotes tibi à natura insitas à primis temporibus ætatis tuæ ita litterarum ac disciplinarum studiis excoluisse atque exornasse, ut olim iuuenilibus adhuc annis præclara florescentis minimeque vulgaris eruditionis specimina præbueris, dum obscura in antiquis scriptoribus loca, quæ quædam tanquam lustra erant, illustrasti, quæque in iis iniuria temporum depravata & corrupta fuerunt, restituisti, dum vetusta Latinæ antiquitatis rudera in nouam subinde structuram singulari artificio eleganter conuertisti: ad exquisitam adeò & raram doctrinam, quæ magnam de te apud doctos quosque viros opinionem excitarit, peruenisse, eamq; variis abs te libris acri & graui cum iudicio scriptis atque in lucem editis ostendisse, ut in eo quod tam feliciter tractes scriptionis genere paucos tibi pares hodie reperi sit: iam verò matura te ètate virum, viro magis magisque digna, & viris doctis grata ac Reip. utilia scribere, quæque à primis illis Romanis olim auctoribus scripta fuerūt, à mendis purgare, & lectissimos quoque ex Musarum hortis, in quibus assidue verseris, flores colligere, concinnare, quibus Lectores mirificè recrees, & eorum pectus ad prudentiam, probitatemque informes: haudquaquam prætermittere voluimus, quin Reipub ad quam hæc abs te ornamenta conferuntur, causa, Cæsareo te nostro elogio decorandum, & quamuis per te satis ipse animatus sis, animandum magis patrocinioque nostro defendendum pro benigna nostra in te susciperemus voluntate. Quoniam verò lucubratiibus atque operibus tuis in lucem edendis, peculiarem te eligere velle Typographum, acceperimus, Diplomate hoc nostro privilegioque te & Typographum tuum aduersus quorumcumque fraudem, qui lucri causa, quod fieri solet, eadem excudere aut typis imitari fortè velint, munitos cupimus. Quamobrem pro auctoritate nostra Cæsarea decernimus,

mus, statuimus, vetamusque, ne quis Typographorum, Bibliopolarum,
aut aliorum, qui librariam negotiacionem exercent, eos libros, quos tu
editurus es, quocumque modo, charaktere, aut forma, siue integros, siue
aliquam eorum partem typis imitari, edere, excudere, aut venundare
intra sacri Romani Imperij, Regnorumq; ac Dominiorum nostrorum
haereditariorum fines triginta annis proximis à primo editionis die cō-
putandis, absque tuo tuorūmve haeredum consensu audeat: Hac autem
lege addita, ut tria ut minimum cuiusq; libri exemplaria, quemadmo-
dum moris est, ad Imperiale nostram Cancellariam mittantur. Si quis
verò editum hoc nostrum transgredi, violare, aut contemnere depre-
hensus fuerit, cum non solum eiusmodi libris, tibi, haeredibusve tuis, au-
xilio Magistratus, vbiq; reperti fuerint, vendicandis, priuari, sed tri-
ginta etiam Marcharum auri puri mulcta, cuius semissis quidem Fisci
nostrī Procuratori, fraudis vindici: alter verò semissis, tibi haeredibusve
tuis pendatur, puniri volumus. Mandantes vniuersis & singulis nostris
& sacri Romani Imperij subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis
quām Politicis, cuiuscumque status, gradus aut ordinis extiterint, præ-
fertim verò iis, qui in Magistratu constituti, vel suo vel superiorum su-
orum loco aut nomine, ius dicunt, iustitiāve exercent, ne quemquam
hoc Privilegium nostrum impunē violare, spernere aut negligere pa-
tiantur: Sed, si quos contumaces compererint, constituta à nobis mul-
cta, eos puniri & quibuscumque modis coerceri current, ni & ipsimet
grauiissimam nostram in se conuertere indignationem velint. Id quod
hoc Diplomate, manu nostra subscripto, & Cesarei nostri sigilli impres-
sione munito, confirmamus. Datum in arce nostra Regia Pragæ, die
prima mensis Augusti; Anno Domini Millesimo, Quingentesimo,
Nonagesimo secundo: Regnorum nostrorum Romani decimo septi-
mo, Hungarici vigesimo, & Bohemici itidem decimo septimo.

Subsign.

RUDOLPHVS.

Iacobus Curtius à Senftenaw.

Ad mandatum sacre Cesarea M^{ir} proprium.

Io. Baruitius.

Additum sigillum Ces. M^{ir} in cerā rubrā.

H 3

S V M-



SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS Dei gratia Hispaniarum, &c. Rex Catholicus, diploma-
te suo sanxit, ne quis, Iusti LipsI Historiarum in Alma Vniuersitate
Louaniensi Professoris, & item Historiographi sui libros quoscumque, à
Censoribus legitimis approbatos, præter ipsius, heredumve eius, voluntate,
intra triginta annos à prima singulorum libroru[m] editione computan-
dos imprimat, aut alibi terrarum impressos, in has inferioris Germaniae di-
tiones importet, venalésve habeat. Qui secūs faxit, præter librorum confi-
scationem triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur, uti latiū
patet in litteris datis Bruxellæ, XIV. Febr. M. D. XCVII.

Signat. Verreycken.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

HENRICVS Dei gratia Galliaru[m] & Navarra Rex Christianissimus,
singulare priuilegio sanxit, ne quis per vniuersos Regnorum suorum
fines, Iusti LipsI, quos vel hactenus edidit, vel in posterum editurus est li-
bros, excudere intra decennium præter voluntatem ipsius posse. Qui secūs
faxit, præter librorum confiscactionem, ter mille florenorum illatione mul-
ctabitur; uti latiū patet in litteris, datis Parisijs, XIII. Iuly, M. DC. V.

Signat. Perrochel.

Tibi IOANNES MORETE, pro amicitia quæ mihi cum Plantino (heu,
quondam meo) & Plantinianis est ac fuit, tibi, inquam, permitto, vñi hoc
meum DE VESTA ET VESTALIBVS SYNTAGMA typis tuis excudas ac diuul-
ges. Ne quis alibi alias præter te, cupio siue iubeo, ex lege quam magnus Cæsar
& Reges dixerunt.

Iustus Lipsius.

SVMMA PRIVILEGII PRINCIPVM BELGARVM.


ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA Archi-
duces Austriae, Duces Burgundie, Brabantie, &c. Serenissimi Belg-
arum Principes, diplomate suo sanxerunt, ne quis IVSTI LIPSI Historia-
rum in almâ Vniuersitate Louaniensi olim Professoris, itemq[ue], Historiographi
& Consiliarij sui libros quoscumque, præter Balthasaris Moreti vo-
luntatem, ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impressos, in has Infer-
ioris Germaniae ditiones importet, venalésve habeat. Qui secūs faxit, con-
fiscatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, uti latiū patet in lit-
teris datis Bruxellæ, XVII. Januarij, M. DC. XI.

Signat. S. de Grimaldi.

Et in Concilio Brabantie,

I. de Buschere.





60005

Biblioteka Jagiellońska



Std r0021350

1780